

N-500009825

AIN
7321



ENCHIRI-
dion Medicinæ, in
quo præcipua theo-
ricæ & practicæ iux-
ta classicorũ autho-
rum dogmata dilu-
cidantur, multaque
triuialium Medico
rũ notãtur errata.

Alfonso lupeio Curæleano
Authore,

Cæsaraugustæ.

1 5 4 9.



SEIN CHIRI

NI, ENICIM, IN

NOPIE, OI, OI

CE, DE, DE, DE, DE

ON, ON, ON, ON, ON

NO, NO, NO, NO, NO

DE, DE, DE, DE, DE

NO, NO, NO, NO, NO

NO, NO, NO, NO, NO

NO, NO, NO, NO, NO

NO, NO, NO, NO, NO

NO, NO, NO, NO, NO

NO, NO, NO, NO, NO

AD AD MO
dum Illustrē ac per
inde Reuerendissimum Domi-
num dominū Ioannē Gonçalez de Munebrega
Tirassonensem Antistitem, Alfonsus Lupeius
Curçleanus Salutem & perpetuam felicitatem.



FATEOR, ME MVLTVM
dubitasse pater amplissime, an ti-
bi Domino tam dignissimo me-
ritissimoq; ego homo infime sor-
tis humilisque fortunæ tuæ domi-
nationi ignotus opelam hanc nuncuparē: quip-
pe ab hoc magnitudo & dignitas me deterre-
bat tua, quæ quasi fulgore quodam mentis meę
aciem perstringebat. Contra tamen humanitas
& benignitas quam de te omnes prædicant, me
creperum & trepidantem impulit, vt posthabi-
ta formidine has meas vigilias tibi dedicarem.
Pugnabāt quippe inter se timor & amor. oppo-
nebat mihi timor, nō decet tam vile xeniolum
tanto domino offerre, præcipue virum nōdum
ab eo probatum, nec de eo adhuc meritum.

Epistola nuncupatoria.

Instabat tamen amor necessitati coniugatus, de-
dalum aliquem te decet querere, qui tuis lucu-
brationibus indat alas: quippe si alieno fauore
non sunt suffultæ, per ima reptabunt, neq; ex la-
ribus audebunt prodire. Iterum atq; iterum vr-
gebat amor, confugiendum est ad tam dignissi-
mum Præsulem, qui ob suos integerrimos mo-
res singularemq; eruditionem non satisq; lauda-
tam benignitatem, te suum patrociniū implo-
rantem benigne suscipiet. Licet autē multa va-
cillanti animo suppeditabat timor, vicit tādē
qui totum me tuę dominationi mancipare im-
perat amor. Hic est, qui etiam non vocatos ad
bonorum cōuiuia facit accedere, vt in phedro
dicit Plato. Hunc si dominatio tua expendit,
quantūlibet pauxillum sit munus, dantem non
recusabit. nempe si ambigerem, te prudentia li-
teris clementiaq; esse decoratum, non mirum q̄
dubitarem, te ad munus nō ad animū respicere.
at omnibus fit palam, quod propter reconditis-
simam doctrinam viteq; sanctimoniam ad tantā
dignitatem scandisti, qua sane & maiori dignis-
simus es, cum talem agas pastorem. Tantā enim
tui gregis geris curam, quod tuæ diœcesis eccle-
sias, quod alij præsules per vicarios faciunt, tu
ipse nulli labori parcens, plus assumens q̄ tua se-

Epiſtola nuncupatoria.

nilis ætas exigebat, viſitas. Sed ad quid hæc cõ-
memoro, cum omnia electiſſimi præſulis in te
ſplendeãt munia? Ad diuerticulum igitur redeũ
do, ſi talis es, non eſt cur autumẽ, tuam domina-
tionem meum animum repudiaturam. ad hunc
potius q̃ ad donaria deum reſpicere, & ethnicis
fuit promulgatũ, vt apud Alcibiadem dicit Pla-
to. Fretus igitur tuæ dominationis benignitate,
hoc opusculũ tibi offerre ſum auſus, quod tuo
clypeo munitum allatrantium non formidabit
morſus. Non enim me præteriit, non defuturos,
qui meos labores ſugillare curent, (nam nemo
eſt, qui aliorum maledicentiam fugiat) ij tamẽ
à garrulitate forſan ſe arcebũt libri propugna-
torem aſpectantes. quod ſi ſemper blaterant, vt
eorum indelebile vitium eſt, nõ pili illos faciã,
ſi tuam dominationem meum laborem proba-
re compertum habeã: inde agnoſcam, me viris
emunctę naris ſatiſſacere. quod ſi eruditis medi-
cis in omnibus non ſatiſſacio, impetrare veniã
mereor, cũ & doctiſſimus quiſq; facile labatur.
Velim tamẽ, vt qui alienos taxat labores, intra
ſuam cuticulam ſe cõtineret, & intus & in cute
ſe agnoſceret. Sũt nẽpe blateratores quidã ſem-
per cornicãtes, qui medicinam nec à limine ſalu-
tarũt, qui in maledicos ſermones tãtopere pro-

Epistola nuncupatoria.

rumpunt, qui lemina (vt aiunt) manu tenediaq; securi aliorum opera percellunt. At si isti considerarent, q̄ difficile est scopū attingere, facileq; non attingentem notare, linguam suam compeſcerent: maxime quod tam indocti sunt, quod nec attingētem scopū notare valent. Non abre Pręsul Reuerendissime in mediū hæc prompsi, quia scio quosdā canentes ad myrthū, opusculū philosophicū quod cōstruxi, taxare, eo q̄ erat vernaculo sermone exaratum. alios sciui dixisse, multa illius libelli esse ab alijs iam literarum memorię tradita. nec defuere, quos maior inuasit liuor, qui dixerūt Aristotelem in propositis omnia quæ erāt in illo libello complexū fuisse. alios, qui non erant tā sordido naso, vt etiā calūnia me prosequerentur, sciui propalasse, me nimis libere aliorum errores notasse. Ad omnia hæc respondere operępretiū iudico, (non enim erit mihi multū operosum) vt forsan hæc ipsi legentes tacendi occasionem arripiant. Sed ad diluendas obiectiones accedamus, quarum prima est, quod vernaculo sermone scripsi. Sane si ipsi non essent nasuti, aperte viderent, me maiorem operam & solertiam nauasse, q̄ si latiali scripsissem. & qui pirronijs rudibus nō fuerit imbecillior, liquido cōspiciet, maiorem ingenij perspi

Epistola nuncupatoria.

cacitatem optare illud scribēdi genus q̄ latiale, si humile est, quale est, quo ego possum vti. Secūda obiectio quos habeat nervos, cuilibet est perspicuum, cum me incusant, q̄ classicos auctores fuerim sectatus, quorū multa difficilia dicta in opusculo aperui, & falsas opiniones relegavi. Tertia obiectio iniquior est, q̄ refelli mereatur, cum si ipsi Galeni lectioni indulgissent, perspicue vidissent, q̄ vix in operibus Galeni est quid instituto illius operis cōcernens, quod ibi non sit enucleatum. mitto dicere, si ceterorum medicorum & philosophorum quæ habentur in pretio, multa decreta fuerint enarrata. Quarta obiectio Aristotele patrocinate sic exploditur, qui in hecaticis dixit, veritatem nunq̄ esse celandam, sed cuilibet amicitie preferendā, quod etiam in hoc Enchiridio seruabo. Taceāt igitur ij, qui vitio mihi vertunt, quæ laude sunt dignissima. sed propter obseruandam tuæ Reuerēdissimæ dominationis dignitatem, in hos mihi expressio inuehi nunc nō licet. Si eorū scripta viderem, forsan retaliarent. sed sambuca citius caloni aptabitur alto, q̄ illis scribendi genus quantumlibet humile: nisi scribendi genus quis vocat, cum nil aliud fit, q̄ alienis scriptis multas exple re mēbranas, nihilq̄ in lucē promere, nisi quod

Epistola nuncupatoria.

ab alijs est millies enarratum. Cæterum mihi calumniantes medici non sic potuerunt effugere, quin aliquos quos inter medendū patrant errores, non manifestarem, quod satis compendarie feci. Si enim vt alij batologiã hic amassem, diffusius quas tetigi, difficultates percurrerem: solū tamen calamū admouui explicandis ijs, quæ alij non tractarunt, vel si eorum mentionē fecerūt, non integre, vel si integre, non iuxta classicorū placita. Dudum est enim Præsul præstantissime, quod prolixos cōmētarios in collectanea Auerrois construxi, vbi diffuse satis multa medicinæ tractaui more Arabes exponētium, quibus multum fui versatus. Considerans autem quantum præsens ætas hoc scribendi genus aborreat, mutavi votum, & intra paucos dies hoc quod tuæ dominationi offero, cōdidi opusculum. quo cū si tibi seruisse agnosco, maioribus deinceps operam nauabo, vt subinde tuæ dominationi more geram. Vale Præsul Reuerendissime, Tirassonēlis diœcesis decus, quæ quem sæpius optabat, meruit habere pastorem.

ELENCHVS

Rerum scitu dignarum quæ singulis Capitibus continentur, vbi explicantur nonnulla pro aliquorum notabilium propulsanda obscuritate.

¶ De dignitate Medicinæ.

MEDICINAM Cum quia corpori sanitatē præstat, tum etiam quia solet animę morbos resarcire, esse præstantissimam. folio. ij.

¶ Bonum medicū logicam & philosophiã atq; astronomiã & perspectiuã necnō geometriã & arithmeticã non esse ignoraturū. folio. iij.

¶ Medicinã nō esse inferiorē iurisperitia. fo. iiij.

¶ In medicina partem non sibi vendicare fortunam. folio. v.

¶ Medicina scientia est. non obstat enim, quod multa quæ in medicina tractantur, tendant in opus: siquidem geometria nomine sciētię dignatur, licet demonstrationes geometricę architectorū operibus possint adaptari. fol. v.

¶ Neutram affectionem ex propria sententia

Elenchus rerum notabilium

à Galeno esse positam, licet contrarium docuerit Musa. folio. vij.

¶ Corpus sanabile subiectum esse medicinæ, quia medicus tendit in sanitatem tanquam in proprium obiectum. dic igitur, subiectum medicinæ esse corpus sanabile, & eius obiectum sanitas, contra ea quæ ex dictis Senensis & Farnelij possunt elici. folio. ix. & x.

¶ Secundum Caput de elementis.

¶ Galenum noluisse caliditatem ignis esse substantiam, ut falso illi imponit Conciliator, hoc tamen non inficiatus est lactantius, qui secundo libro diuinarum institutionum, capi. decimo calorem vocat substantiam ignis. folio. x.

¶ Ignem elementum posse comburere, habereque caliditatem in summo, siccitatem autem citra summum. Consideratione tamen est dignum, an Gale. primo libro de sanitate tuenda voluerit ignem esse summe siccum. folio. xj.

¶ Ignem elementum colore non dotari. fo. xj.

¶ Aerem esse calidæ naturæ ex galeni & omnium stoycorum sententia. *imo* folio. xij.

¶ Aquam summe infrigidare galenum dixisse. fo. xij.

¶ Diuinæ prouidentie imperio ad vnum locum confluxisse aquas, ut aliqua portio terre esset discooperta pro hominum habitatiõne, ut ex

Huius libri.

ijs quæ primo capi. genesis dicuntur, liquido elucescit. folio. xiiij.

¶ Aliquem posse cōtendere, terram altius aqua esse locatam. folio. xv. quod sic est intelligē dum, q̄ superficies conuexa terre sit superior vel altior superficie conuexa maris: quod thimon quæstione sexta primi metheororū multis rationibus persuadere molitur. & qui hoc tenuerit, asseuerare poterit, q̄ terra cui adiacet mare, est tanq̄ profundissimus vallis, quē montes ingentissimi circuūt: & hoc dictabit esse aquas cōgregatas in vtre. sed cum ijs mille calūnationes obuiant, melius est amplexari causam, quam ex genesi didicimus. ~ nam ag

¶ Recte dixisse galenum qui cōtra aristotelem professus est non quodlibet elementū immediate in quodlibet trāsmutari. folio. xv. *ciesta itra pulue*

¶ Auicenam & stoycos docuisse elementa quoad formas substantiales manere in mixtis cōtrariumq; docuisse aristotelem, ex quo error iacobi & farnelij fit palam. folio. xvj. *rem igni*

¶ Tertiu caput de tēperamētis. *nis. ut m*

¶ Auicenam noluisse in mutua actione qualitatum principum ipsas qualitates principes perire, vt falso illi imponit farnelius. fo. xvij. *fabris ferra*

¶ Non inepte vocari temperamentum san-

nis. rino
In aerem p.º q.º fu. ut ignis
leuetur?

quod iuxta hanc temperatam. fit hu-
manum. dominiana propior. servat
ideo nome.
cleamur
ex his
temp.
tribui
noy

Elenchus rerum notabilium

guineum & biliosum contra ea quæ farnelius
persuadere molitur. folio. xviiij.

¶ Expiatur gale. qui nonnunquam temperamentum
vocavit animam. folio. xviiij.

¶ Corpus temperatum non in omnibus actio-
nibus reliquis præstare contra quæ plerique as-
seueranter docent. folio. xix.

¶ Corpus temperatum non omnibus causis mor-
bum inducentibus magis aduersari contra mul-
torum sententiam. folio. xx.

¶ Adolescentum ætatem reliquis perfectioris esse
temperamenti ex sententia galeni contra mul-
tos probatur. folio. xxj.

¶ Infantes reliquis aliarum ætatum in actio-
nibus naturalibus præstare contra conciliato-
rem & multos alios. folio. xxj.

¶ Plus calidi innati pueros habere & calidita-
te ut caliditas est plus polere iuuenes. quod
sic intelligas, quod aduentitio calore plus abun-
dant iuuenes. quod galenus tertio de causis
pulsuum non semel edocet, neque ijs reluctan-
tur, quæ dicit secundo libro de temperamentis:
ubi dicit, pueros & iuuenes habere æqualem
gradum caloris ad tactum. nam fatemur, quod vi-
dentur habere æqualem gradum caloris, non
tamen est in iuuenibus tanta copia calidi na-

Huius libri.

- tiui. aduētitiuſ tamen calor quo magis polēt,
pēſat quod ex innato calido eſt abſumptum,
ſicq; apparent ob ſimilem caloris gradum ha
bere, nō tamen omnes. ijs enim qui ſunt frigi
di & humidi, calorē augeri videtur. fo. xxij.
- ¶ Temperaturam calidam et humidam reliquis
in vite duratione nō antecellere. fo. xxiiij.
- ¶ Pituitę naturam ad morum cultum nil facere
ex galeni placitis probatur. folio. xxv.
- ¶ Non recte dicere eos qui melancholia natu
rali melancholicos eſſe ingenioſos prodi
derunt. folio. xxv.
- ¶ Sanitatem eſſe conſeruandam per ſimilia &
corrigendam per contraria ex galeni monu
mentis oſtenditur contra recentiorum ſen
tentiam.
- ¶ Quartū caput de humoribus.
- ¶ Sanguinem eſſe calidę & humidę temperatu
rę ex ariſtotelis & galeni ſententia probatur
licet aliud voluiſſe Ariſtotelem aliqui con
tendant. folio. xxix.
- ¶ Recte ariſtotelem dixiſſe genituram eſſe frigi
dā maleq; à cōciliatore eſſe expoſitū. fo. xxx.
- ¶ Perperam veſalium reprehendiſſe galenū in
hoc quod profeſſus eſt venas poſſe ſanguinē
creare. folio. xxx.

Elenchus rerum notabilium

- ¶ Lapsum fuisse drusianum necnon hugonem & cesarem optatum in explicanda substantia sanguinis. folio. xxxj.
- ¶ Pituitam esse frigidiorē atrā bile ex galeni dogmatibus contra multos neothericos manifestatur. folio. xxxij.
- ¶ Non esse alienum à ratione pituitam in vētriculo generari. folio. xxxij. ibi diximus q̄ à temperato calore gignitur melācholia, exēplificādo illud diximus quod si nō placet nō me offendes si dixeris q̄ à frigiditate generat̄.
- ¶ Non semper vna eademq; tēporis intercapēdine humores gigni cōtra farneliū. fo. xxxij.
- ¶ Perperam manardum increpasse auicenā qui ex admixtione pituitę tenuis cum bile adusta dixit pituitam falsam creari. folio. xxxij.
- ¶ Bilem quæ est in vesica fellea esse calidiorē & magis tenuē ea quæ est in venis ex gale. de decretis cōtra multos explicatur. fo. xxxiiij.
- ¶ Bilem flauam in ventriculum non infigi contra oppositum opinantes ex galeni sententia ostenditur. folio. xxxiiij.
- ¶ Vomitum bilis porraceę non esse letalem. folio. xxxiiij.
- ¶ Aliter creari bilem eruginosam apud galenū q̄ apud auicenam. folio. xxxv. & xxxvj.

Huius libri.

- ¶ Melancholicum succum appetentiam naturalem excitare contra ea quę Leonhartus probare nititur. folio. xxxvj.
- ¶ Atram bilem ex sanguine creari ex Galeni auctoritate contra Fernelium probatur. nempe tertio libro de locis affectis dixit, in ipso met cerebro melancholicus humor genitus est, cū videlicet internus calor aut flauam bilem aut crassum atrumq; sanguinem superaffluit. eandem sententiam confirmauit sexto de morbis vulgaribus cōmētario sexto, & primo de differentijs febrium, & libro tertio de simpthomatibus causis. folio. xxxvj.
- ¶ Ex pituita posse gigni bilem atram cōtra manardum ostēditur. folio. xxxvij. ibi videbis quandam rationem, quę intendit probare, qd humor ficcus non potest esse pituita. disputatiue est posita, nam iam videmus, quod pituita falsa exsiccat.
- ¶ Humores quatuor specie differre contra conciliatorem & alios qui eiusdem sunt opinionis. folio. xxxvij.
- ¶ Ventriculum chilo nutriri asseruimus. nō inficiamur tamen, qd sanguine alatur: vt ex ijs quę dicuntur quarto de vsu partium, & tertio de facultatibus naturalibus liquido colli

gitur. folio.

xxxviii.

¶ Ventriculum non intendere coquere pro toto corpore ex galeni sententia cōtra auerroē probatur. folio. xxxviii.

¶ In ventriculo non reperiri appetitum cōmunem cōtra ea quæ gentilis edisserit. fo. xxxix.

¶ Caput quintū de mēbris.

¶ Animalium sanguineorum partes ex sanguine creari. folio. xxxix.

¶ Sanguine mēstruo fœtus nutriri contra multorum sententiam. folio. xl.

¶ Sanguinem menstruum sola quātitate esse noxium contra ea quæ plinius & Isidorus edisseruerunt quibus accessit farnelius. folio. xl.

¶ Tempore grauidationis sanguinem mēstruū nō aptū nutrire in venis vteri cōtineri. f. xli.

¶ Iecur & cor non esse mēbra spermatica quæadmodum multi autumant. folio. xlii.

¶ Adipem non esse frigide temperature vt auicena asserere ausus est. folio. xlii. & xliii.

¶ Pinguedinem non à frigido sed à calido esse creatam à veritate non esse alienū licet cōtrarium docuerit galenus. folio. xliii.

¶ Propriissime & nō secūdario iecur et cerebrū esse mēbra principalia ex gale. decretis cōtra multos illū nō recte exponētes pbat. f. xliii.

¶ Cor esse in medio pectoris ex Galeni doctrina contra quã Aristoteles & Cornelius docuerunt. folio. xliiij.

¶ Ventriculum cerebri postremũ reliquis esse perfectiorẽ contra auicena ex galeni dogmatibus ostenditur. folio. xlv.

¶ In plexu retiformi vltimam formam non dari spiritui animali vt falso Gentilis autumauit. folio. xlvj.

¶ Caput sextũ de facultatibus.

¶ Facultates tripartito ordine esse diuisas. folio. xlvj. circa autem ea quæ ibi tractatur, nota, q̄ diximus esse quatuor facultates seruientes nutrici facultati, quod est consonum ijs, quę docet auicena. cæterum si sic dicere non placet, dic esse quatuor facultates seruientes nutritioni. Facultas namq; quę proprie dicitur nutrix, ea est, quę assimilat. quod si hæc est ea sub alteratrice vel concoctrice cõpletur, vt tertio libro de simpthomatum causis dicit galenus. secundum quod recte dicemus, reliquas tres facultates huic alteratrici seruire, & omnes quatuor seruire nutritioni: quia omnes diriguntur in opus nutritionis. hæc quę diximus, videntur consentanea ijs, quæ dicit galenus quinto de locis affectis. quip̄

Elenchus rerum notabilium

pe qui dicit, alteratrici facultati reliquas facultates naturales ministrare. cōsidera igitur, si hallucinatus fuerit Auicena & eius expositores.

- ¶ Facultatem attractricem & appetitiuam non differre. folio. xlviij.
- ¶ Non esse necessum ponere facultatem segregatricem. folio. xlviij.
- ¶ Per transfuerfas fibras non fieri attractionem id qđ auicena pręter veritatē asseruit. f. xlix.
- ¶ Ratione similitudinis substantię fieri attractionem contra quā auicena in galenum persuadere fuit ausus. folio. xlix. & .l.
- ¶ Ratione identitatis substantię aliquando fieri attractionem. folio. l.
- ¶ Facultatem vitalem aliquando ab auctōribus dici naturalem. folio. lj.
- ¶ Non omnibus animalibus esse cōmunem facultatem vitalem contra quam Conciliator autumauit. folio. lj.
- ¶ Aliquando dici liberā facultatē vitālē. fo. lj.
- ¶ Causam ob quam solę arterię pulsent nō recte esse assignatam à Thoma de garuo & ab hugone. folio. lij.
- ¶ Vim pulsificam non esse aliam à vitali contra ea quę farnelius dissertauit. folio. liij.

Huius libri.

- ¶ Priores vētriculos cerebri aliqua polere nobilitate ibiq; sensum communem residere cōtra manardi sententiam. folio. liiij.
- ¶ Galenum docuisse imaginatiuā cōplecti memoriam in eodemq; loco ambas facultates residere. fol. liiij. ibi diximus q; lesa posteriore parte cerebri omnes facultates animales leduntur, quod iuxta sentētiam aetij esse dictū debes itelligere & nō iuxta sentētia auicene.
- ¶ Mortuo homine non perire memoriam intellectiuam vt historia diuitis epulonis testatur contra farnelium. folio. lv.
- ¶ Operationem sensuum exteriorū in exterioribus sensibus perfici contra quā manardus edocuit. folio. lvj.
- ¶ In radice lingue sensum gustus vigere. fo. lvj.

¶ SCITV DIGNA

Secundi Libri.

¶ Primū Caput de ratione victus.

Hippocratem nō docuisse omnes victus humidos febriētibus cōferre contra quā antonius musa exposuit. folio. lviiij.

¶ Ptisana ex auena confecta vsum fuisse Alexandrum. folio. lviiij.

Elench is rerum notabilium

- ¶ Beta & lentep ro febrientium victu non frequenter esse vitendum. folio. lix.
- ¶ Lentem nunquam esse porrigendam pleuritide correptis eiusque decoctum non omnino eis esse in hibendum. folio. lix.
- ¶ In omnibus fructibus exiguum esse quod nutrit, non exiguum quod est inutile, ex galeni sententia. qui cum non excipiat lactucam, & buglosam, non est, cur eas tantum ut arabes laudemus. quorum vnus auerroes scilicet dixit, omnia olera succum melancholicum gignere preter lactucam & buglosam. quod a galeno sane non fuit acceptum. siquidem dixit tertio libro de locis affectis, ex oleribus brasicam solum gignere sanguinem melancholicum. fo. lx.
- ¶ Non omnino fructus esse denegandos febricentibus. folio. lx.
- ¶ Lutea ouorum non esse interdicens febricitantibus contra quam conciliator & sabanarola docuerunt. folio. lxj.
- ¶ Suillam carnem esse ponendam in victum genere contra antonium musam. folio. lxj.
- ¶ Perdices non esse difficilis coctionis contra quam vulgus medicorum opinatur. folio. lxij.
- ¶ Perdices non esse frigidi temperamenti ut auicenna & auerroes autumarunt. folio. lxij.

Huius libri.

- ¶ Pullos valde nouellos febrientibus non esse exhibendos. folio. lxiiij.
- ¶ Ventriculum galinę ventriculum humanum nõ roborare cõtra auiceneę sententiã. fo. lxiiij.
- ¶ Succum carniũ extractum per distillationẽ nec illum qui ex carne semiaffa accipitur nõ esse egris porrigendum contra quam medici vtuntur. folio. lxiiiij.
- ¶ Muliebre lac non semper calidum vt mãmis excidit esse bibendum contra vulgariũ medicorum sententiam. folio. lxv.
- ¶ Lac aluum non compescere sed citare contra leonharti opinionem. folio. lxv.
- ¶ Amigdalarum cremorem non tam frequẽter febrientibus esse propinandum vt medici solent. folio. lxviij.
- ¶ Cremorem nucum ponticarũ nec obstructio nes aperire nec ad resarciendam capitis imbecillitatem multum valere cõtra medicorum vulgus. folio. lxviij.
- ¶ Decoctũ cinamomi & anisi febrem nõ adaugere cõtra multorũ sententiã. folio. lxviiij.
- ¶ Aliquod vinum esse frigidi tẽperamenti contra fuchsię sententiam. folio. lxviiij.
- ¶ Vinum esse humidi temperamenti contra id quod manardus docuit. folio. lxviiij.

Elenchus rerum notabilium

- ¶ Aquam esse potum delatium ex galeni sententia quod razes nō concessit. folio.lxix.
- ¶ Secundum Caput de concoctione & serapijs.
- ¶ Non tantum esse culpandum manardum qui dixit antiquos serapijs non fuisse vsos vt muſa contendit. folio.lxix.
- ¶ Non semper antiquos loco cibi & potus serapijs fuisse vsos vt perperam braſabolus dicit. folio.lxx.
- ¶ Non esse necessum viribus polere illū cui bis porriguntur serapia contra gentilē. fol.lxx.
- ¶ Post cenā non esse propinanda serapia vt medicorum vulgus facit. folio.lxx.
- ¶ Parum esse fidendum in liquoribus stillatijs. folio.lxxij.
- ¶ Non esse exhibēda serapia tepida nec semper calida vt multi solent. folio.lxxiiij.
- ¶ Non esse necessum assumptis serapijs dormire contra gentilis sententiam. folio.lxxiiij.
- ¶ Veram concoctionem solum fieri à genuino calore & non à serapijs. folio.lxxv.
- ¶ Vbi tenues sunt humores non esse differendā euacuationē contra leonhartum. folio.lxxv.
- ¶ Maiorem copiam nunc esse serapiorum q̄ antiquitus, sacharumq; ab antiquis non fuisse

cognitū. folio. lxxv. quod si contendere vis, illud à veteribus non fuisse ignotum, fac vt libet. scias tamen velim, q̄ insinuat seneca octogesima quarta epistola libro duodecimo, sua etate à romanis non fuisse cognitum. inquit enim, aiunt, inueniri apud Indos mel in arundinum folijs: quod aut ros illius cœli, aut ipsius arundinis humor dulcis & pinguior gignat. in ijs clare monstrat seneca, nostrum sacharum sua etate non esse cognitum. nam id quod dicit reperiri apud Indos, in folijs arundinis dicit reperiri, nō autem sic reperitur nostrum. & vtcūq; sit nullum tūc à romanis erat cognitum. hanc authoritatem senecę eo libētius in medium prompsi, quia quod sciam, nemo illius fecit memoriam.

¶ Succum rosarū non esse calidę nature vt mesue dissertauit. folio. lxxv.

¶ Non deerrasse mesuem qui violam dixit esse narcoticum. folio. lxxvj.

¶ Aliter sumi vocabulum anodinum apud græcos q̄ apud arabes. folio. lxxvj.

¶ Serapium de endiuia non esse concinandum multis medicamentis adstringentibus quādo quidem ad humectādū exhibetur. fo. lxxvij.

¶ Asphaltus non est fantalus contra Manardi

Elenchus rerum notabilium

- opinionem. folio. lxxvij.
- ¶ Congruam esse miscellam serapij acetosi cū aqua ordeī cōtra auicene sentētiā. fo. lxxviij.
- ¶ Oxizacaram tuto posse p̄pinari humore calido ex capite fluēte cōtra sabanarolā. f. lxxix.
- ¶ Serapium de absintio ex succo confectū capiti faceffere negotium. folio. lxxix.
- ¶ Serapium de menta quod cōmuniter paratur esse frigide nature. folio. lxxix.
- ¶ Grana mali punici contra Rabbi moysem sibiq; adherentem Mattheum ventriculo non officere. folio. lxxix.
- ¶ Serapiū de adiantho ventrē cōpescere cōtra ea quę ex dictis mesue eliciuntur. fo. lxxx.
- ¶ Non recte esse assignatam causam à gentili & ab antonio musa ob quam serapium de papa uere conficiatur cum aqua pluuia. fo. lxxx.
- ¶ Non esse alienum à mente galeni aquam pluuiam tarde putrescere. folio. lxxx. neq; hoc deuium est à ratione, cum quidpiā adstringēs habeat hęc aqua. experientia etiā contra hoc non reclamatur, cum aqua pluuia quę in cisternis colligitur, imputris conseruatur multo tēporis spatio.
- ¶ Tertium caput de purgantibus medicamentis.

- ¶ Cauendum esse medicamenta purgantia passim propinare contra quam medici vti solent. folio. lxxxj.
- ¶ Medicamenta aromatica esse admiscenda medicamentis purgantibus ex quo elicitur illos deerrare qui contendunt pulueres quos cordiales vocant non esse addēdos purgantibus potionibus. folio. lxxxij.
- ¶ A galeno forsan non probata fuissent multa medicamenta quę nūc sunt in vsu qualia sunt confectio de prunis & electuarium de succo rosarum. folio. lxxxiiij.
- ¶ Cassiam nigram retundere multorum medicamentorum malitiam ob quod bene consultum est eam purgantibus potionibus addere cōtra quendam hispanum. folio. lxxxiiij.
- ¶ Congruam esse miscellam ex cassia & rhabarbaro contra medicos aliquos. fo. lxxxiiij.
- ¶ Potiones aliquando esse porrigendas calidas aliquando frigidas. folio. lxxxiiij.
- ¶ Assumpto purgante medicamento illico esse absorbēdam ptisanā contra medicorum vulgus qui purgatiōe incepta adhibēt insulsum ius. folio. lxxxv.
- ¶ Deerrare conciliatorem qui vsq; quo purgare desinat egrotans nō audet exhibere aquā

Elenchus rerum notabilium

ordei vel mellicratum. folio. lxxxv.

¶ Infusum ius non prodesse ijs qui ebiberunt
portionem purgantem cōtra medicorum vul-
gus. folio. lxxxv.

¶ Die purgationis parca manu esse exhibendū
cibū contra quā medici faciunt. fo. lxxxvj.

¶ Medicamento epoto esse dormiendum nō ta-
men tantum quantū medici præcipiunt con-
tra Leonhartum & multorum medicorum
vsum. folio. lxxxvij.

¶ Non esse propinanda cathapotia ante cenam
nec pauco translato interuallo à cena vt me-
dici solent. folio. lxxxix.

¶ Aliquando cibus admiscuisse purgantia medi-
camenta priscos authores. ficulam enim quæ
polipodiū est cibus admixtam exhibebat Ga-
lenus. folio. xc.

¶ Humores multum exuberātes licet non tur-
geant aliquando esse ante concoctionem eua-
cuandos contra brasabolum & leonhartum.
folio. xcij.

¶ Vbi febris adest non esse porrigenda serapia
multum calefacientia contra aliquorum ab-
surdam opinionem. folio. xciiij.

¶ Medicos impudenter errare qui postquā ter
vel quater serapia exhibent non aduertentes

Huius libri.

- si humor est concoctus medicamen purgans propinant. folio. xciiij.
- ¶ Grauter medicos errare qui die quinto pharmacū subductiuū exhibere nō audēt. f. xciiij.
- ¶ Aloem esse interdicens ijs qui intemperie calida & ficca laborant. fo. xciiij.
- ¶ Pręter rationem reprehendere manardū mesuem qui tempore frigido nocere aloem fuit professus, antoniumq; misam male dicta mesue excusasse. folio. xcvi.
- ¶ Non lapsos fuisse auicenam & mesuem dicentes aloē referare venarū ani oscula. fo. xcvi.
- ¶ Aloem melli mixtā magis aluum deicere cōtra auicenam eiusq; expositorem gētilē fęde lapsū fuisse. fol. xcvi.
- ¶ Rhabarbarum ab antiquis non fuisse cognitum. folio. xcviij.
- ¶ Turpiter errare mesuem qui rhabarbarū indiscriminatim propinat contufis & ab alto deuolutis. folio. xcviij.
- ¶ Rhabarbarum non omnino esse interdicēdū vterū gerentibus contra fuchsum. fo. xcix.
- ¶ Rhabarbarum non concitare nauseas contra gentilem. fol. xcix.
- ¶ Nonnunq̄ tutius exhiberi rhabarbarū grauidis q̄ cassiam fistularem. fol. xcix.

Elenchus rerum notabilium

- ¶ Rhabarbarū non esse estate repudiādā. fol. c.
- ¶ Agaricum esse interdicendum gestantibus vterum. folio. c.
- ¶ Scamonium in magna quantitate dari solitū ab antiquis. fol. c.
- ¶ In descriptione catapotiorum cociorū nullum esse errorem vt gentilis & mesue autumarunt. folio. c.
- ¶ Aloem retūdere vim scamonij. fol. c.
- ¶ Nōnunq̄ addi medicamenta subductiua non tamen addi vim purgatoriam. fol. c.
- ¶ Forfan vbi apud auicenam reperitur rosam persicam esse scribendū florē persicū. fo. cij.

¶ Quartum Caput de vomitu.

- ¶ Antiquitus in maiori vsu fuisse medicamenta vomitoria q̄ præsenti seculo. fol. cij.
- ¶ Vi medicamenti vomitorij que sunt in intestinis non posse vomitu vacuari Galenus dixit qui à leonharto perperam fuit expositus. folio. cij. &. cij.
- ¶ Natura gracilibus vtpote melancholicis inutilem esse vomitum celsus dixit quem non recte leonhartus explicuit. folio. cij.

¶ Caput quintū de clysteribus.

- ¶ Licet febre correptis deiciatur aluus adhibēdas esse clysteres lenitiuas. folio. cv.

Huius libri.

- ¶ Cum vires egri sunt imbecilles nō esse infundēda chyfmata cōtra medicorū vulgus. f. cv.
- ¶ Non esse frequentandum clysterium vsum in renum calculo affectis. folio. cv.
- ¶ Chyfmata acuta sepe licet exhibere acuta in festante febre. fol. cv.
- ¶ Congruētius exhiberi chyfma acutū in phrenitidis principio q̄ scamonium deuorari contra gentilem. fol. cvj.
- ¶ Chyfmata infrigidantia non esse tuta in ardētium febrium principio contra multos triuiales. folio. cvj.
- ¶ Chyfmata multum calfacientia nō temere esse adhibenda dolore colli vexatis. fol. cvij.
- ¶ Chyfmata nonnunquā nutrire contra fabanarolam. fol. cvij.
- ¶ Exterius apposita non posse nutrire contra conciliatorem. fol. cvij.
- ¶ Intestina habere facultatē concoctricem cōtra gentilem. fol. cvij.
- ¶ In intestinis creari stercus contra quā multi opinantur. fol. cvij.
- ¶ Non esse tutiores glandes subdititias in gerentibus vterum q̄ chyfmata contra mattheū gradi. folio. cvij.
- ¶ Caput sextū de venę sectione.

Elenchus rerum notabilium

- ¶ Si vires sunt imbecilles deiectionē mediocrē adhibere licere nō tamē venā secare. fo. cviiij.
- ¶ Si purgatione & venę sectione eger eget à venę sectione esse auspicandum. fol. cviiij.
- ¶ Tres scopos mittēdi sanguinis esse positos ab hippocrate quibus galenus addidit quartū illū scilicet qui ab ambiente sumit aere. fo. cix.
- ¶ Cum galenus dixit aere existente abunde calido venam nullatenus esse secandam intellexit de sanguinis missionibus effatu dignissimis. folio. cx.
- ¶ Cum galenus protinus cohibuit pueros à sanguinis missiōe forsan intellexit de sanguinis missionibus copiosissimis. folio. cx.
- ¶ Grauiterrare medicos qui dicunt galenum nō interdixisse pueris scarificatiōibus. f. cxj.
- ¶ Corneliū celsū docuisse nō esse abstinēdos pueros à sanguinis detractiōe. fol. cxij.
- ¶ Noluisse hippocratem detractiōem sanguinis in grauidis semper facere abortum cōtra leonhartum. folio. cxiiij.
- ¶ In principio morbi abundantius sanguinem extrahere licere. fol. cxiiij.
- ¶ Sanguinem insigniter ad alterius naturā mutatum non esse detrahendum contra eos qui nunq̄ sanguinis missionem laudant nisi cum

Huius libri.

- sanguis infectissimus extrahitur. fol. cxiiiij.
- ¶ Coitus luminarium ratione non esse abstinendum à sanguinis missione. fol. cxv.
- ¶ Aristotelem voluisse caniculam aerem alterare contra conciliatorē & brasabolū. fo. cxv.
- ¶ Præter scopos ab auctoribus assignatos esse consideranda pro sanguinis missione. fo. cxvj.
- ¶ Ante postmeridianum tempus esse venam secandam. fol. cxvj.
- ¶ Prius esse chysma exhibendum quàm vena tundatur. fol. cxvij.
- ¶ Errare conciliatorem qui in pleuritide venam mediam esse secandam docuit. fol. cxix.
- ¶ De venæ dextræ quæ est inter anularem digitum & auricularem sectione galenum nunquam fecisse memoriam. fol. cxx.
- ¶ De saluatela sinistra ex propria sententia non locutum fuisse galenum. fol. cxx.
- ¶ Antiquitus non fuisse consuetudinem secare venam quæ est inter anularem digitum & paruum sed eam quæ inter anularem digitum & medium interiacet. fol. cxx.
- ¶ In febribus diuturnis magnam opem præstare venarum quas saluatelas vocant scissionem cuius rei causa aperitur. fol. cxxj.
- ¶ Sectionem venæ cubiti non esse repudiandam

Elenchus rerum notabilium
in multis qui mensium suppressione labo-
rant. folio. cxxij.

¶ Caput vltimū de epithematibus.

¶ Sepe auctores malagmata vocare epithema-
ta. folio. cxxiiij.

¶ Non recte interpretatum fuisse auicenam ga-
lenum decima tertia tertij. fol. cxxiiij.

¶ Non solum finistrę parti thoracis esse admo-
uenda epithemata contra medicorum vsū.
folio. cxxiiij.

¶ Epithemata multum adstringentia non esse
admouenda pectori contra triuialium medi-
corum consuetudinem. fol. cxxiiij.

¶ Ante vacuationem non esse admouenda rela-
xantia medicamenta. fol. cxxiiij.

¶ Grauiter errare medicos qui ad conciliandā
appetentiam semper vtuntur medicamentis
stipticis. fol. cxxvj.

¶ Pueriliter errare medicos qui exanthemati-
bus vexatos iduūt pānos purpureos. f. cxxvj.

¶ TERTIVS LIBER.

De rebus quę sunt præter naturam.

Genera lapsuū eadē esse cū ijs quę virtutē
perficiunt dixisse galenū qui nō recte fuit
à multis expositus. folio. cxxvij.

Huius libri.

¶ Non esse tot species egritudinis quot sunt species sanitatis contra eos qui quæstiones ventillant. fol. cxxvij.

¶ Morbos tripartita esse diuisos in morbos quæ ad temperamentum attinent & in morbos cõpositionis & in morbum vnitatis. fo. cxxviii.

Circa hoc nota, q̄ recepta & cõmunis sententia est, q̄ mala intemperatura sit morbus. cui sententię nõ vult accedere hieremias brachelius, quippe qui cõmentarijs primi libri artis medicinalis dicit, intemperatura non est morbus, sed dispositio quæ malam intemperaturã sequitur. sed contra brachelium in multis locis est gale. libro enim de simpthomatum differentijs dicit, omnem intemperiem esse morbum. idem dicit libro de differentijs morborum, & alijs partibus fere innumeris.

¶ Non negasse galenum dispositionẽ præternaturã que fit esse morbum. fol. cxxviii.

¶ Præter morbos acutos nominatim p̄strictos ab antiquis alios fuisse positos a gal. f. cxxix.

¶ Febrem intermittentem non esse morbũ acutum. folio. cxxix.

¶ Alios esse morbos hereditarios quã quos auicena secunda primi perstrinxit, contra mattheum, fol. cxxix.

Elenchus rerum notabilium

- ¶ Errare matthæum qui dicit in mēbro affecto
per cōsensum necessario esse lētionē. f. cxxxj.
¶ Cause contentiuę memoriā fecisse Gale-
num. folio. cxxxj.

¶ Secundum Caput de febribus.

- ¶ Alium humorem nō putrefactum à sanguine
posse gignere febrem. folio. cxxxiiij.
¶ Errasse alexandrum tralianum qui dixit fe-
brem quartanam suboriri ex humore nō pu-
trefacto. folio. cxxxiiij.
¶ Inter febrem ardentem & tertianam conti-
nuam non posuisse differentiam Galenum vt
Auicena. folio. cxxxv.
¶ Turpiter errasse cęsarem optatum qui dixit
causum ex sanguine putrido solum oriri. fo-
lio. cxxxv.
¶ A frigiditate non oriri putredinē contra o-
ptatum. folio. cxxxv.
¶ Diebus imparibus febres ardentes esse fortio-
res contra fuchsum. folio. cxxxvj.

Causum.

- ¶ Ex causo laborante esse sanguinem detrahen-
dum contra conciliatorem. fo. cxxxvj.
¶ Errare ioannem manardum qui humorē pro-
ducentem tertianam intermittentem dicit es-

Huius libri.

- se turgentem. folio. cxxxvij.
- ¶ In primo insultu accessionis paruos esse pul-
sus tertianarum. folio. cxxxvij.
- ¶ Minores esse pulsus quotidianarum q̄ quarta-
narum cōtra arabes exponentes. fo. cxxxvij.
- ¶ Tertianam intermittentem iudicari contra
gentilem. folio. cxxxviiij.

Quartana.

- ¶ Quartanam eundem hominem bis posse in-
uadere. folio. cxxxviiij.
- ¶ Molliter in principio esse tractandos quarta-
na laborantes contra vulgares. fol. cxxxix.
- ¶ In principio quartanę interdicēdum esse bal-
neum contra aristotelem. fol. cxxxix.
- ¶ Humore quartanę concocto remittuntur ri-
gores contra gentilem. folio. cxi.

Febris è pituita.

- ¶ Cum multa pituita est in ventriculo non es-
se exhibendos pastilos de absinthio contra tri-
uiales. folio. cxi.

Pestis.

- ¶ Pestem sepe inuadere citra febrē contra mul-
torum sententiam. folio. cxlij.
- ¶ Non ex sola aeris infectione oriri pestem cō-
tra quā multi astruunt. folio. cxlij.
- ¶ Pillulas ruphi nō cum croco sed cum ammo

Elenchus rerū notabilium

niaco esse conficiendas. folio. cxliij.

¶ In febre pestilenti non esse denegandam purgationem quæ fit per aluum cōtra fuchfium. folio. cxliij.

¶ Theriacam non esse pueris exhibendam contra medicorum vulgus. folio. cxliiiij.

¶ Præter rationem fuchfium reprehēdere gentilem in hoc quod dicit gentilem voluisse nō esse imponendam theriacam bubonibus pestilentibus. folio. cxliiiij.

Hectica.

¶ Hecticam posse incipere non præcedente febre contra multos disputantes. fol. cxliiiij.

¶ Non semper maiorem calorem esse in hecticis quàm in putridis contra oppositum disfertantes. folio. cxlv.

¶ Aquam non esse agonistice præbendam febre hectica correptis. folio. cxlv.

¶ Hecticos & eos gubernantes multum delinquere in ratione victus. folio. cxlv.

¶ Grauiterrare medicos q̄ medicamenta cordialia ex medicamentis multum adstringentibus cōcinata sine delectu omnibus hectica febre correptis porrigunt. folio. cxlv.

¶ Tertium Caput.

Dolor capitis.

Huius libri.

- ¶ Platonem voluisse ex necessitate naturam genuisse caput parum carnosum vt sensum haberet magis acutum quod ab aristotele non probatur. folio. cxlvj.
- ¶ Inæqualem intemperiem posse efficere dolorem ex mente galeni. folio. cxlvj.
- ¶ Dictitasse galenum cerebrum non esse sensus expers. folio. cxlviij.
- ¶ Ex pillulis de hiera esse demendum vel minuendum crocum cum porriguntur pro mendendo capitis dolore. fol. cxlviij.
- ¶ Cauteriũ non esse repudiandum in aliquibus capitis inueteratis affectibus. fol. cxlviij.

Vertigo.

- ¶ Nullum esse discrimẽ inter vertiginem & scotomiam. folio. cxlviij.
- ¶ Non aceruatim esse detrahẽdum sanguinem in ijs qui vertigine occupantur. fol. cxlviij.

Phrenitis.

- ¶ Defensabile esse auctores noluisse inflammationem cerebri esse phrenitidem sed solum velaminum. folio. cxlix.
- ¶ In phrenitide esse venam secandam. folio. cxlix.
- ¶ Aquam gelidam non esse exhibendam phreniticis. folio. cl.

Elenchus rerum notabilium

Apoplexia.

¶ In apoplexia curationē non esse differendam contra haliabatem. folio. cl.

¶ Ob id quia tertius dies est primus dies criticus aliquos auctores monuisse quod vsq; trāseant tres dies non sepeliatur qui ex apoplexia subcubuit. folio. clj. sed nec ratio ibi posita integre mihi satisfacit, cū cōputatio dierum criticorum à principio egritudinis sit sumenda. & si hoc consideras, videbis pauci esse facienda, quę de motu omnium humorum dixit conciliator, cum etiam moueri habeāt, anteq̃ apopleticus efflasse animam iudicatur.

¶ Ab humoribus calidis non proficisci apoplexiam dixisse galenum vnde claret antonium musam fuisse deceptum. folio. clj.

¶ In apoplexia magis affici corpus cerebri q̃ vētres contra ea quę gentilis docuit. fol. clj.

Carum.

¶ Humiditatē esse potiozem causam somni naturalis. folio. clij.

¶ Aloem de per se non ciere somnū congrueq; propinari cathapotia de hiera caro correptis contra quā aliqui docent. fol. clij.

¶ Fatuis magis cōtingere in somnijs futura preuidere sapientes autem solertiores esse som-

Huius libri;

niorum coniectiores.

folio. cliiij.

Epilepsiam.

¶ Epilepsiam à platone vocari morbum sacrū quod à galeno non probatur. fol. cliiij.

¶ Aperitur causa ob quam sit consuetudo stertentes salutare. folio. cliiij.

¶ Ex crure potest ascēdi vapor morbum comitialem gignens. folio. clv.

Melancholia.

¶ Lapide armenio recte purgari melancholia correpti. folio. clv.

¶ Aloē purgare atrā bilem cōtra gētilē. fo. clvj.

Paralifis.

¶ Sulphurulenta balnea esse interdicenda resolutione neruorum correptis contra multos practicos. folio. clvj.

Conuulsio.

¶ Duplicem solū esse conuulsionis causam tam eius quę est primogenium malum q̄ eius quę est per consensum contra fuchsum. fo. clvij.

¶ Non esse taxandos eos qui dicunt conuulsione detentis esse porrigenda medicamēta tam calorifica quod aliquando inducant febrem contra musam. folio. clviiij.

¶ Distētionē laborātes multotiēs curari aque frigide larga perfusiōe cōtra paulū. fo. clviiij.

Elenchus rerum notabilium

¶ Parum iuuare oleum conuulsione apprehen-
sus. folio. clviij.

Optalmia.

¶ Neruum opticum vere esse concauum cōtra
gentilem. folio. clix.

¶ Sinistrum oculum non melius videre dextro
contra manardum. folio. clx.

¶ Pompholigē lotam esse mordacitatis exper-
tem contra gentilē. folio. clx.

¶ Sarcocolam non esse argimone contra gen-
tilem. folio. clxj.

¶ Platonem voluisse astra nil mali operari. fo-
lio. clxj.

Dolor auris.

¶ Dolore auris vexatis nullum pharmacum est
infundendum. folio. clxj.

¶ Pulsationem quę dicitur auditus in sede ie-
coris desinere voluisse platonē. fol. clxij.

Dolor dentium.

¶ Aperitur causa ob quam infantes nascantur
edentuli. folio. clxij.

Sanguinis profluuium.

¶ In peripneumonia non iuuare sanguinis pro-
fluuium ex galeni sentētia cuius contrarium
docuit aetius. folio. clxij.

¶ Turpiter errare medicos qui anteq̄ fiat auer-

Huius libri.

fio medicamēta multum frigida & adstringō
tia frōti admouēt in sanguinis pfluuio. clxiiij.

¶ Mētā compescere sanguinis fluorem cuius
contrarium disseruit aetius. fol. clxiiij.

Angina.

¶ Non esse subscribēdum alexandro qui intra
initia angine venas quæ sunt sub lingua seca-
re iubet. folio. clxiiij.

¶ Parce esse detrahendum sanguinem in angi-
na. folio. clxiiij.

¶ Hirundines & non earum retrimenta laudas-
se galenū ijs q̄ angina sunt correpti. fo. clxiiij.

Tussis.

¶ Fede lapsum esse matthēum qui dixit galenū
voluisse tussim esse passionem pectoris & nō
pulmonis. fol. clxv. Asthma.

¶ Asthmate laborans supinus q̄ diutissime in
ore teneat medicamenta non vt Matthēus
monet. folio. clxv.

¶ Medicamenta asthmaticis opitulantiā esse in
cisura citra vehemētē calefactionē. fo. clxvj.

¶ Vinum esse porrigendum asthmaticis non ta-
men sit vinosum caput tentans ne distillatio-
nem capitis gignat vel augeat. folio. clxvj.

Pleuritis.

¶ Alexandrum voluisse legitimam pleuritidem

Elenchus rerum notabilium

nōnunq̄ non comitari febrē. fol. clxvij.

¶ Calfactorijs voluisse expugnare pleuritidem galenum. folio. clxvij.

¶ Errasse manardum in assignāda causa ob quā ex parte affecta detraxerit sanguinem in pleuritide galenus. folio. clxviij.

¶ Andrea vefalium libro de humani corporis fabrica & leonhartum in cōmentarijs de venę sectione voluisse nō semper latere sinistro patiente ex cubito sinistro esse hauriendum sanguinem. folio. clxix.

¶ Sepe licere pleuritide correptis exhibere pharmaca potentius soluentia q̄ cassiam & rhabarbarum. folio. clxx.

Peripneumonia.

¶ Dubium fuisse galenū an ex bile possit obori ri peripneumonia. folio. clxxj.

¶ Non definisse galenum an pulmo sit sensus expers. folio. clxxj.

Sanguis reiectatio.

¶ Sanguinis reiectatione laborantibus exhibēda esse medicamenta adstringentia mixta medicamētis calidis & tenuibus contra medicorum deprauatum vsū. folio. clxxij.

¶ Ante auersionem non esse admouenda pectori eius qui sanguinis reiectatione laborat me

Huius libri.

dicamenta adstringentia contra quã medici
faciunt. folio. clxxij.

Cordis palpitatio.

- ¶ Deerrasse conciliatorem qui dixit haliabatẽ
voluisse pulsum sinistrę manus esse maio-
rem. folio. clxxij.
- ¶ Aristotelem non negasse cor posse pati inflã-
mationem. folio. clxxiiij.
- ¶ Inflãmationem pãniculi cordis non esse leta-
lem contra matthęum. folio. clxxiiij.
- ¶ Omne aromaticum cognitum à gale. esse cali-
dum quod dico propter santalos non tamen
omne bene olens esse aromaticũ. fo. clxxiiij.
- ¶ Aurum cor roborare contra antonium mu-
sam. folio. clxxv. quod frigidi est tempera-
menti, vt gale. ix. metho. qui etiam dicit fer-
rum esse frigidũ. ex quo elicetur deerrare cõ-
cilia. qui prima sectiõe proble. dicit, auctores
non insinuasse cuius temperaturę sit ferrum,
credere tamen esse calidę naturę.
- ¶ Errare medicos & seplascarios in describen-
dis medicamentis cordialibus solum ex phar-
macis adstringentibus. folio. clxxv.
- ¶ Grauiter errare manardum qui ratione simi-
litudinis coloris posse fieri attractionem dis-
seruit. folio. clxxvj.

Elenchus rerum notabilium

¶ Non omnia medicamēta cordialia esse theria-
calia contra dinū & gentilē. folio. clxxvj.

¶ Medicamēta quę ad distributionē vehemētē
faciūt nō sunt exhibēda post cibū. f. clxxvij.

Dolor ventriculi.

¶ Inflammatione ventriculi incipiente non es-
se porrigenda quę aluum subducant contra
razem & auicenam. fol. clxxvij.

¶ Abscessum ventriculi qui se aperit sub peri-
toneum esse peiorem contra aliquos practi-
cos. folio. clxxvij.

Cibi fastidium.

¶ Crocum nō tantopere appetentię repugnare
vt auicena autumauit. fol. clxxvij.

Singultus.

¶ Viam potus esse magnā arteriam dixisse pla-
tonē cui forsan cōsonat illud Aristotelis sci-
licet singultū pulmonis esse affectū. f. clxxviii

De iecoris obstructione.

¶ In iecore paucę sunt venę contra auerroem.
folio. clxxviii.

¶ Ante vacuationem decocta multum aperien-
tia non esse exhibēda obstructione iocinoris
occupatis. folio. clxxix.

¶ Limaces parū prodesse in iecoris obstructio-
ne cōtra matthęum quę cum melancholicū

abundantia veling forte vt non in nil
proficiamq sed eniam maiorem effectū
habent.

Huius libri.

succum gignant nescio quare tanti eas faciunt
pro hecticorum victu. folio. clxxix.

¶ Lupinum hepar non esse multum laudatum à
gale. pro obstructo iocinore sanando cōtra-
rium tamen vulgus autumat. folio. clxxx.

¶ Non in qualibet iocinoris inueterata obstru-
ctione sanguinem esse mittendum contra mat-
theum. folio. clxxx.

Hidrops.

¶ Ascitem esse peiorem timpanitē ex Galeni
dogmatibus contra illud quod fuchsius per-
suadere mollitur. folio. clxxxj. cōtinetur au-
tem humor ascitem producens inter perito-
neum & partes sibi subiacentes, vt gale. quin-
to de locis dissertauit, non inter abdomē &
peritoneum vt multi docent.

Obstructio lienis.

¶ Lotium humanum non prodesse ijs qui ob-
structione lienis laborant cōtra medicorum
vulgus. folio. clxxxj.

Dolor intestinorum.

¶ In aliqua intestina brutorū extēdi omentum
contra iacobum. folio. clxxxij.

¶ Omnē dolorē qui est in qualibet parte vētris
pperā à multis dici colicū non enim cū dolor
est in ilijs vel in hipogastrio vel vt magis cō-

Elenchus rerum notabilium

plectar i epigastro est colicus dolor. clxxxij.

Ventris profluuium.

¶ Voluolum esse periculosiorem dolore colico. folio. *3^o de morbis vulg.* clxxxij.

¶ Non temere esse adhibenda medicamēta multum adstringentia profluuiio ventris incipiēte. folio. *q. de ar. cu. ad* clxxxiiij.

¶ Non temere esse porrigēda medicamēta purgantia in ventris fluore. *3^o de m.* fol. clxxxiiij.

¶ Rhabarbarū nō esse assandū pro medella eorum qui diarrhea corripitiuntur. — fo. clxxxiiij.

¶ Nardum non ciere ventris fluorem contra mattheum. *dis. v. v. m. d. f.* fol. clxxxiiij.

¶ Non penitus esse abstinēdos dissenteria occupatos à ventris cum pharmaco purgatione. folio. clxxxiiij.

¶ Pinguedinē hircinā nō perinde prodesse dissenteria correptis vt caprinā. / *ad heres. lang.* fo. clxxxv.

¶ Calculus renum. *3^o de m. fa.*

¶ Vesicā nō habere vim attrahēdi vrinā ex sententia galeni, vt ex sexto de locis liquido penditur. in tertio tamē de facultatibus naturalibus visus est insinuasse, vesicā vrinā trahere, cum dicit idē & vesicę faciūt, vbi quoduis eorū quę attraxerit, vel multitudine distēdes vel qualitate mordēs reddi molestū. clxxxv.

De igr. num. vrinę p. aliq. foraminu que in renibz habent. que ad modu? bilio ex fenne sanguis latur. 5^o de vlu. p. v. m. d. f. ex de lo. affe.

¶ A calore modico solēt calculi creari. clxxxv. *crassis*

¶ In renum cauitate calculos generari contra *hu. 9*
zoar & multos practicos. *fol. clxxxvj.*

¶ Post victū assumptū nō minui dolores ex cal *Hy. de*
culo obortos contra auicenā. fol. clxxxvj. *m. b. 6.*

¶ Cathartica multū calfaciētia qualia sunt litō *com. p.*
tripō & antidotō emagogū interdicenda esse *m. n. do*
calculo vexatis cōtra multos arabes. clxxxvij. *doloru*

Vermes. *69. 6. de mor. mul*

¶ Argentū viuū inhibendum esse pueris contra *aromitu*
antonium musam & deprauatum medicorū *nec ar*
vsum. *pen. vin. interig. folio. clxxxvij.*

¶ Stangulatus vteri. *nullu. em.olumehi*

¶ Aliquādo ob semē cohibitū solū, aliquando *affere*
etiam & ob retenta menstrua proficisci vteri
strangulatum dixisse gale. fol. clxxxviij.

¶ Vinum nō penitus esse inhibendū ijs qui vte
ri strangulatu torquentur. folio. cxc.

¶ Vterum neruosum esse ex quadam similitudi *m. no*
ne ex galeni decreto non obstantibus in con- *su*
trarium adductis. folio. cxc.

¶ Ex hippocrate & arist. vterum mulieris solū
duos finis habere contra mundinum & alios
luę factionis. *vidi tres nas. folio. cxc.*

¶ Licet maior medicorum pars doceat septimū
& nonum mensem p. rtus naturalis esse depu

Elenchus rerum notabilium

tatos terminos, ex platone septimum & decimum mentem naturalis partus esse terminos veridicos. folio. cxc.

¶ Ex auicena dolorem articulare a prava intemperie posse gigni. *ab. folio. cxc.*

Dolor artuum.

¶ Sectione venarum que sunt in auribus partum posse in coxendicum dolore contra depravatam medicorum consuetudinem. folio. cxcj.

Elephantia.

¶ Forfan dixisse hippocrate eunuchos elephantias non tentari & non podagra. fol. cxcj.

¶ Haliabatem more grecorum morbum elephantiasim dictum accepisse. fol. cxcj.

¶ Deerrare azarabium & sibi addictos qui voluerunt quolibet tempore menstrue purgationis posse fieri conceptum. fo. cxcij.

Peroratio.

¶ Mortalium vitam calamitatibus & erunis esse implicitam ut non temere mortis nomen sortiri mereatur ex platonis sententia. cuius decretorum flosculi per me contexti deo meis subscribente votis, prope diem in lucem prodibunt.

FINIS.

PRIMVS

LIBER IN QVO DE REBVS

*Quas naturales uocant tractatur, cuius primum Caput est de Medicinæ dignitate
& eius subiecto,*




PTSI NON ME LATET,
 q̄ imbecilles & pusillæ sint mei
 ingenij vires ad prædicandâ hu
 ius facultatis dignitatem & præ
 stâtiam. Ne tamen videar ingra
 titudinis labe infici, de eius laudibus nonnulla
 in medium promam. Nempe si magistris pro
 pter sciētiam quam ab eis accepimus, æqualem
 gratiam rependere nō possumus, consentaneū
 est q̄ ipsi scientiæ, cui inuigilauimus, tantum de
 beamus q̄ tenemur eam laudibus & encomijs
 semper celebrare. Præcipue si talis est qualis est
 Medicina, cuius tanta est excellentia antiquitas
 & authoritas, q̄ timeo me cum illam laudare in
 tendo conspurcare. Verum enimvero licet ipse
 velim sui honoris nō possem quicq̄ detrahere,
 quippe tam munita est q̄ nec qui Timoniano
 dente eam incessere cupiunt contumeliam sibi
 possunt iniurere, nedum ij qui neruis & vngui-

Enchiridion medicinæ

bus totis eam tutari conantur. q̄ si medicinam dedecorari quis cenſet, cum pro ſua dignitate nō laudatur, incuſandi ſunt omnes, qui hucusq̄ eius laudes prædicare ſunt aggreſſi, quippe qui nec earum milleſimam partem attigerunt. ſed tantum abeſt q̄ ij ſint taxandi, q̄ elogio quolibet ſunt digni, quippe pro ſui ingenij virilitate veritatem præconant quæ platone teſte quinto dialogo de legum latione eſt omnium bonorū dux. ceterum quis ibit inſitias q̄ ij qui medicina ignari eam laudāt, q̄ ſi eius arcana introſpexiſſent q̄ non ſupprimerent multa, quæ eam plane decorant & honeſtant. Obſerua igitur quæ illi tanq̄ oratores celebres facunde dicunt, audiam quæ ego medicinae alumnus, ornati ſermonis expers tibi propalo. at qui ſenſum magis q̄ verborum elegantiam perpendere licet, vt primo dialogo de lege Plato monuit. Porro videte quanti hæc celeberrima facultas eſt extimanda, que ſanitatē præſtat roborat & tuetur, aduerſamq̄ valetudinem profligat, atq̄ ſanitas bonorum humanorum primum eſt vt primo dialogo de lege Plato diſſeruit. Qui enim graui detinetur morbo, optat potius vitam in mortem commutare, q̄ calamitoſam tedioſamq̄ ducere vitam: medicinae etiam muneris eſt, reliqua hu-

mana bona augere & confirmare. Est enim secundum bonum vt ibidem dicit Plato, forma. tertium, vires. quartum, diuitiæ. Quis autem inficiabitur q̄ medicinæ beneficio creetur forma & custodiatur? eius etiam opera roborantur vires & gignuntur? quippe ex optima corporis valetudine hæc emanant, quam à medico produci & conseruari, nemini non fuit concessum. atq; aucupandis diuitijs quæ quartum bonum sunt, hæc facultas frugissima est, nempe homines qui prospera valitudine viribus coniuncta potiuntur impigre nauigant ad phasim, curruntq; ad extremos Indos, fugientes vt ait Poeta pauperiem, quam fugere non posset qui morbo & virium imbecillitate esset præpeditus. mitto dicere si facile, vt fama autumat hanc exercentes facultatem, fiant dites. nam sepe solet vt ditescant minus, qui medicinæ maiore operam nauarunt: aut quia magis curant literas adipisci, q̄ captare auram popularem, qua ditantur homines, vel quia incertum vulgus solet sectari peiora. Non enim ij sunt præstantiores medici, quos vulgus recepit, vt enim prouerbio dicitur sunt asini apud cumanos. Ceterum si omnia humana bona hæc insignis facultas largitur, tutatur, & confirmat, nescio quis nostro encomio calculum albū

*frugi
feta*



Enchiridion medicinæ

nō addet, quippe solis diuitijs acquirendis, quæ vltimum ex bonis quæ parit sunt, homines tantopere anhelant & inhiant, q̄ diuitem non cessant vocare felicem. Pauca tamē diximus si ijs quæ iam promo aurium operam accomodatis, nempe & bona animæ hæc facultas promittit, & præstat, mores enim animæ corporis temperaturas sequuntur, vt vno integro libro Galenus probauit. Eatenus igitur mores poterit corrigere mulcere & moderare, quatenus tēperaturas valet immutare & refarcire. Enimvero si quis ob scandescentem bilem, præcipitis est consilij facileq; furore percipitur, medicinæ præsidijs poterit bilis attemperari vel vacuari, vnde tranquillior reddetur. Si etiam ob atrabilarium humorem quis magna auaritia præmitur, medicinæ beneficio in liberalitatē quæ virtus optima est propensius fiet, q̄ si ob eundem humorem erat distemperatus, eo vacuato temperatus reddetur, & vt in summa multa complectar, potis est hæc facultas facere homines prudentes, iustos, magnanimos, & qualibet morali virtute donatos, prauam temperaturā scilicet corrigendo, infectosq; succos attemperando, vel educendo, optimisq; humoribus corpus reficiendo. Hæc etiam facultas insignis viam monstrat qua

locorum differētia noscatur, quę vt ab Hippo-
crate habemus, & Plato quinto de legibus te-
statur, magna est ad ferēdos meliores peioresq;
homines, altius omnia hæc rimare, & videbis q̄
non solum huius seculi delicias homini medici-
na præbet, sed fert illi suppetias vt cœlestibus
fruat. Corrigendo enim prauum habitũ pra-
uosq; extirpando humores, moresq; consequen-
ter, procliuitatem ad vitia depellit, taliterq; ani-
mam informat, vt tota velit suum intuitum in
deum figere, quid multa? multos qui in aula cœ-
lesti resident, infernus forsan deuorasset, si illis
hæc facultas non subuenisset. Nempe inuadit
multos morbi attoniti, vel commitialis grauif-
sima accessio sermonem adimens: huius tamen
facultatis ope restituntur, pandent peccata, re-
conciliantur deo, cui forsan erant inimicissimi:
multi etiam frenitide vel mania apprehenduntur,
quibus iudicium caligat, & forte mille crimini-
bus irretiti, in hos morbos inciderunt, at qui
medicinæ auxilio releuantur, & confessione fa-
cta à peccatis se extricant, idem de multis amen-
tibus dicere licet, qui cum non differant à bru-
tis pecudibus, huius facultatis munere à morbo
se explicāt, & luce quę suos intellectus illustrat
iam accepta, sequuntur lucem veram, que illumi-

Enchiridion medicinæ

nat omnem hominem venientem in hunc mundum. admodum multa sunt hæc, sed iam plura perpende. Porro omnes laudes quæ Logicam, Astronomiam, Geometriam, Arithmeticã, Perspectiuam, & Philosophiam, diuifim & speciatim circũstant, hanc noſtram facultatem fimul illuſtrant & decorant. Nam bonus medicus debet eſſe Logicæ peritus, Aſtronomiæ non ignarus, Geometriæ & Arithmeticæ doctus, idem & perſpectiuus, & bonus Philoſophus, vt iam à præſtantiffimis medicis eſt comprobatum. q̄ ſi qualibet harum ſciẽtiarum tam digniffima eſt, q̄ a mortalium nemine vix poteſt laudari, palã fit omnibus, quantis encomijs noſtra medica facultas fit digna. Cæterum cum multa temporis diuturnitate ſuum amittant nitorem ſplendoremue, noſtra tamen non ſatis laudata facultas, tempore fit venuſtior & ſplẽdidior. Olim enim ſolum empiricam medicinam ſectabantur, ad quam callendam philoſophia nõ eſt opus, iam rationalem à prædictis ſcientijs adiutam ſectantur, qua ex humanis ſcientijs nulla, ſi fas eſt dicere, eſt diuinior. atq; quia ab antiquis ſolum empirica erat in prætio, nondum enim rationalis erat nota. Idcirco dixit Plato in epinomi, q̄ medicina in certis cõiecturis opinionibusq; pro

cedit, at de rationali medicina neutiq̄ hæc dice-
ret Plato diuinus, neq; hanc Aristoteles ciuili
facultate esse inferiorem promeret. Cum enim
dicit primo Ethicorum libro capite vltimo, fa-
cultatem ciuilem esse præstantiorem medicina,
de sola empirica loquitur, quæ autem rationa-
lis est, ob multa quæ iã diximus illi præstat. Nõ
desunt tamen vitiligatores quidam maleq;feria-
ti homines, qui nullũ non mouent lapidem pro
hac facultate labefactanda, dicentes & vetulis
est nota medica facultas, & rusticanis sunt notæ
multæ herbæ, quibus morbos profligant, addũt
etiam, fortuna medicina regitur, nam præstat in-
sapiens fortunatus infortunato erudito. Notate
dicta ex Heracliti antro deprompta, si ob id q̄
vetula vel rusticanus admonet herbam: est iam
medicus quicũq; agricola? vel latomus de fide
loquitur iam est theologus? causidici etiam qui
homines è circulo sunt, iam sunt iurisperiti? sed
præstat hos longum valere iubere, cum qui ta-
lia fantur mandragoram biberunt & culpant
medicinam, cuius auxilio egēt: sed vix nisi apud
anticiram curabũtur, vbi electissimi hellebori
est copia. atq; neq; ibi est illis certa salus, quia
iam ijs cutis ægra tumet. hos considerare dece-
ret, quãtam viceffitudinem, quantũq; discrimẽ

humano generi pariant indocti medici, ne dicā
 ipsas vetulas hominesq; vulgares, cum hanc ce-
 leberrimam facultatem audēt temerare & pro-
 phanare: non tamen ijs minus sunt taxandi illi
 qui suam sanitatē illis cōmittunt. Egregie enim
 dicit Plinius primo libro capitulo primo, q̄ in
 hac sola scientia euenit, vt quicūq; medicum se
 profitēti statim credatur, cum sit periculum in
 nullo mendatio maius: non tamen illud intue-
 mur vt ille inquit, adeo blanda est spirandi per
 se cuiq; dulcedo. Nulla præterea lex quę puniat
 incitiam capitalem, nullum exemplum vindi-
 ctę, discunt periculis nostris, & per experimēta
 mortes agunt. Hæc Plinius quę clare nostrā me-
 dicinam dehonestantiū mordacitatem refellūt
 & magistratus populiq; gubernatores coar-
 guunt, qui in medicina non prolatos eam exer-
 cere sinunt. Sed redeamus iam ad aliam quam
 proponunt obiectionem, dicunt enim fortuna
 medicinā gubernari, porro quātum ij aberrēt,
 in meo libello philosophico longa quæstione
 probaui, licet non me fugijt: q̄ si Platonicis di-
 ctis daremus manus, q̄ in medicina sicut in qua
 libet alia re admitteremus fortunam. Quarto
 enim de legū latione, deum & fortunā omnia
 gubernare dictat, cui sententiæ videtur subscri

bere Cicero tusculana quinta, cum Calistonis laudat sententiam, qui dixit vitam humana fortuna regi. At melius est dicere cū Iuuenali, fortunam nullum numen habere: q̄ si quod absit in medicina partem sibi vendicat fortuna, nullam illa patitur iniuriam: nam eo modo iuxta Platonis sententiã, reliquæ humanæ facultates fortunæ imperio sunt subditæ: sed sane vt iam parte citata ipse probaui, procul est a sapiente secundū scientiã opus dirigente fortuna. Aristotelis enim sententia est amplexanda, qui ethico- rum primo libro cap. decimo. fortunam sequi non esse rectum dissertat. Scio tamen egregium philosophum Marsilium ficinum libro de triplici vita, tanq̄ Platonicum multa fortunę tribuere, vbi é medicina illam nõ repudiat. Cuius dicta diui Thome autoritate possunt roborari, qui quidem inquit tertio cõtra gentiles, capi. nonagesimo secundo. Nihil prohibet q̄ etiam aliquis homo habeat ex impressione corporis cœlestis aliquam efficaciam, in aliquibus operibus quam alius non habet, puta medicus in sanando, & agricola in plantando, & miles in expugnando. Hæc sanctissimus doctor quę si velle mus explodere, nõ esset difficile: si tamen bene pensiculantur non innuunt, q̄ vi fortunæ hæc

Enchiridion medicinæ

fiant, sed ratione qualitatis occulte, quam si admittere volumus nihil obstat: hoc tamen etiam refutauimus libello iam dicto. Hæc de medicinæ laudibus dicta iam sufficiant, nam si omnes eius laudes percurrerem, in longum sermo pro ueheretur. & sane nescio quis erit quantūlibet morboſi ſit ingenij boeticamq; habeat aurem, qui prædicta contemplās, audeat vituperare ſanitatis & vitę parentem, & hoc parricidio ſe inquinare. certo enim ſcio q̄ habentibus aures acri lotas aceto nec omnia quæ diximus erat neceſſum nos annotaſſe. Sat enim pro pleno medicinæ encomio illis eſt cōſiderare medicinā eſſe ſcientiam cum cuiuſlibet ſcientiæ, eximia ſit, & vt prope dixerim indecibilis dignitas. hanc tamen dignitatem huius ſeculi famigerati medici medicinæ abrogare non ſunt dedignati. Dicit enim Ioannes farnelius præfatione ſui libri de naturali facultate, artis nomine vniuerſam medicinam cōtineri, quoniam omnium quę in medicina tractantur, ea eſt conſpiratio, & his conſenſus, vt homo incolumis & ſanus ſaluari poſſit, eger autē in integrum reſtitui. Ex ipſo itaq; ſine dicit vniuerſam medicinā nomen artis accipiet: tametiſi multis cōſtet theorematis, quę ipſa quidem ſola per ſe ſcientia continentur. Hæc

Farnelius quę non tantum probant, vt medicinam inquinare nos faciant. nam licet fateamur qđ vltimus medicinę finis sanitas fit, non est inficiendum, qđ ea pars medicinę philosophię multum germana, quę demonstrationibus secretiora medicinę ostēdit, fit scientia. Si enim ob hoc qđ multa quę sunt in medicina ad artē attinent, medicina non est dicenda scientia, pariter geometria esset ars, quia architecti demōstrationibus geometrię adiuti eleganter sua efficiūt opera. Fuchsius in suo methodo & multi alij innixi auctoritatibus Galeni medicinā esse artem contendunt. Quippe Galenus libro de constitutione medicinę inter factiuas artes, medicinam numerat: qui etiam libro introductorij, plane contra erasistātum & methodicos, medicinam esse artem profitetur. Meipsum autem qui medicinam semper colui, parum mouent citatę auctoritates: quas si isti boni medici bene contemplantur: potius in oppositam ducerentur sententiam. Quippe Galenus ibidem docens medicinā non esse sciētiam: tam pressę nomen scientię capit: quod Arithmeticam, & Astronomiam, & Philosophiam, artes esse differit: et quod magis admiratione dignū est, in introductorio ad homines scientiam non venire assertat. quod si tā

Enchiridion medicinæ

astricto significato nomen scientiæ vult vsurpare, nullam medicine facit iniuriam: quippe quæ plenum honorem est consequuta: si quo modo philosophia, & arithmetica, dicuntur artes, illa dicatur. Nam si sciētia (iuxta Aristotelis doctrinam, posteriorū primo, capite secūdo) est, cum causam arbitramur cognoscere, propter quam res est. quis disitebitur, q̄ multa sint in medicina theoremata: quę nos faciant scire. Nēpe Themistius posteriorum paraphrasi, capite quarto Aristotelem exponens dicit. Demonstratio est sillogismus scientiam pariens: quod autem contingat, sillogismos demonstratiuos in medicina formare, Galenus non negavit: quippe qui in libris de methodo, & de anathomis administrationibus, & libro de decretis Hippocratis, multa per demonstrationem probare conatur. In libro etiam de venæ sectione, clare insinuat: multa per demonstrationes posse in medicina probari: quod si sic est, non est cur inficiemur medicinam esse scientiam. Subscribamus ergo Galeno, qui primo techni illam scientiam appellavit: atq; medicina scientia non est, quoad omnē partem: sed quoad partem theoreticam que tam ratiocinatiue, sicut philosophia procedit. Vocabulum autem scientiæ late ibi esse sumendū,

dicit Galenus, quia per scientiam stricte captā, sapientiam intelligit: quæ est habitus principiorum, & cōclusionum diuinæ scientiæ, quæ determinat de optimis & perfectissimis naturæ entibus: qualis est methaphisica: & forsan huc tendens, tam obnixe negavit: in introductorio, & libro de medicinæ constitutione, & multis alijs locis (vbi passim medicinā artē esse profitetur) esse medicinam scientiam. Cæterum hæc nobilissima scientia (vt Galenus dixit citata parte) sanorum & ægrorum & neutrorū est. quæ diffinitio vt sit perspicua, non eget Hugonis elucidatione: qui eam exponens dicit, vt hæc diffinitio sit completa, supplemento eget: hoc scilicet medicina est sanorum & ægrorum & neutrorū scibiliū a medico: ac si per se sine additione non esset idonea: cum nihil aliud sonat, quam medicina est sciētia corporum humanorum sub hac ratione consideratorū: quod sunt sana vel egra vel neutra, immo additamētū hugonis offuscat diffinitionem: cum medicus per medicinam habet diffiniri: nō medicina per medicum. album namq; albedinem diffinit: & non albedo albū. Sapientem etiam per sapientiam diffiniuit Aristoteles primo libro methaphisicæ: & nō sapiētiam per sapiētē. Claret igitur ex dictis Galeni,

Enchiridion medicinæ

circa quæ medicina versatur, circa sanitatem (inquam) & egrimoniam, neutramq; affectionem, quam è medio tollere multi contendunt. Dicit namq; Antonius musa octauo aphorismo secundi libri. Non datur neutrum primi significati secūdum Galenum: quia in libro primo de sectis, de neutro nullam fecit mentionem. Neq; in primo & secundo libro methodi, hanc affectionem annotauit. neq; obstat, inquit Brasabolus: quod in libro artis medicinalis vtitur neutro: quia Galenus in illo loco diffinitionem suã non accepit: sed Erofilii diffinitione vti voluit: ne sua esset suspecta. vt ostenderet, quacūq; medicinæ diffinitione data, per resolutionem diffinitionis totam artem edoceri posse. hæc Brasabolus, que parum contra ponentes neutrã affectionem probãt. nam fat est q; Gale. in arte parua quã post laboriosam operã quã nauauit, scribẽdis magnis medicinæ voluminibus neutram affectionem posuit: licet libros de methodo & de sectis exarans, parum huius neutræ affectionis curauerit. Dicere enim, quod in diffinitione medicinæ neutrum posuit: iuxta Herophili disertationẽ ne sua diffinitio esset suspecta, est absurdum. Siquidem Galenus qui totam medicinam interpolauit: non solet ad edocenda vera

dogmata falsa proponere. altiora in suo metho-
do, & libris de vsu partiũ, & vt omnia vno ver-
bo complectar: in omnibus quos scriptis man-
dauit libris edocuit. non tamen suus mos est, cũ
promulgat nouam doctrinam, falsam presume-
re. taxat Aristotelẽ, taxat Platonem, & Erisipũ,
& tandem omnes, qui priora secula decorarũt:
& erat formidaturus vnum Herophilum? cuius
traditam definitionem si volebat assumere: nõ
est, cur tantum immoraretur in neutrorum do-
ctrina? quippe postq̃ per diffinitionem resolu-
tionem artis edocuit: totum primũ librum artis
medicæ in declaratione neutrorum consumit.
Edocẽs quippe aliud esse primi significati, aliud
secundi, aliud tertij: non succincto modo vti hi
solent, qui aliquod dogma non astruunt: sed fa-
tis late vt nihil intactum dimisit, eorum quæ ad
hanc docendam affectionem attinent. neq; ante
quam artem medicinalem cõdidit: opinionem
Herophili repudiauit. Siquidem in sexto libro
de sanitate tuẽda, huius affectionis fecit memo-
riam. dicens, Iam si tertia corporis affectio est,
quã neutrà Herophilus appellat, quę in his qui
ẽ graui euaserunt febre, cõualescendi tempore
cernitur. Hęc in citata parte Galenus, vbi mini-
me reluctatus est herophili dictis, immo ex hoc

Enchiridion medicinæ

quod dicit, q̄ Herophilus eos qui ex graue eua-
ferunt febre, conualefcēdi tempore neutros ap-
pellabat: colligitur in arte medicinali Galenum
longiorem sermonem neutrorum fecisse, quā
Herophilus: nēpe quia Galenus medicinali arte
non solum eos qui sunt releuati ex graui febre:
conualefcendi tempore neutros vocat, sed om-
nes qui conualefcunt: licet ex miti febre fuerint
releuati, & multa alia genera ponit neutrorum:
quorum forsan Herophilus nullam tradidit do-
ctrinam. Nec disputare cupio, an realiter neutra
affectio sit ponenda: iam video quod non: si sa-
num & ægrum sunt contraria immediata. iuxta
ea quæ ex Aristotelis prædicamētis possunt eli-
ci. Sed esto quod in re talis affectio non detur:
ad medici considerationem multum attinet. Et
si quis nitteretur negare, quod sanum & ægrum
sint contraria immediata: non facile a contradi-
cente vinceretur. Contradicet tamen Platoni,
qui libro de voto esse contraria immediata pro-
fitetur: porro ex diffinitione medicinæ toties re-
petita facile colligitur: subiectum vel eius obie-
ctum esse corpus humanum: consideratum sub
hac ratione, quod est sanum vel ægrum vel neu-
trum, vel si mauius dicere corpus sanabile, præci-
puus namq; medici scopus est, præbere sanitatē,

& ægritudinẽ stirpare. Sic dixit Aristoteles primo libro ethicorum, capite primo. Medicinæ finis sanitas est. Et Galenus ad traſibulum nõ negavit corpus humanum sanitatis capax eſſe ſubiectum medicinæ. Ex quo facile conuincitur error Senenſis & aliorum: qui dixerũt, corpus uiſificabile eſſe ſubiectum medicinæ. impulſi fue-
re iſti boni viri, ad hæc dicertandum: quia multoties in quibus eſt desperata ſalus, medicus conatur vitam producere, vtpote in maraſmo & tabida febre captis. ſed ſuperficiem verborum inſpectant, & non meditulum, qui talia fantur. Siquidem a fine principalius & generalius intẽto ſciẽtia debet denominari. hic autem finis ſanitas eſt, hanc conatur inducere medicus, hanc curat tueri, hanc nittitur reducere: ad quẽ attinet dare vitam, attinet producere illã. & ſi medicus illam producere intẽdit, ſuum proprium finem ſectando facit: nititur maraſmũ expugnare. Si videt autẽ futiles eſſe labores: laborat genuinum calorem maraſmo detenti tueri, & roborare, vt diutius ægrotus viuat. Hęc autem faciendo in proprium ſcopum tẽdit, vtpote in ſanitatẽ. quia licet illam nõ potuit inducere: roborauit & conſeruauit natium calorem, qui illius maraſmo occu pati ſanitas eſt. et eſto, quod

b

Enchiridion medicinæ.

totum sanitatis finem istud opus transgredere-
tur: nihil est, aduersum nostram enūtiationem.
siquidē vt dixi, a principali & vniuersaliori
fine scientia sumit nomen. Multa sunt, quæ me-
dicus é medicina discit: & multa sunt quæ pa-
trat, vel patraret, si lex non prohiberet, quæ sa-
nitati & vitæ sunt contraria: non tamen ab illo
fine scientia debet denominari. Dare namq; ve-
nenum ad tēpus definitum: si possibile est, eru-
diti medici est. non tamē ab internectione quā
peperit venenum, est sumendus medicinæ finis.
Fætum etiā necare, vt vtero gestās á graui egrit-
tudine releuetur: sapientis & si non christiani
medici est: non tamē mors medicinę debet esse
finis. Et sane producere vitā morbis multis im-
plicitam: si loqueremur moraliter, quomodo
loqueretur Plato, & Aristoteles, & Seneca, &
forfan noster Galenus, potius carnificis, q̄ medi-
ci est. vita morbis plena, erumnis & mille cala-
mitatibus circūdata, qualem tabidus ducit: po-
tius mors q̄ vita est. Iuxta ea quæ Plato dicit li-
bro de contēnenda morte. et Plinius septimo li-
bro. et Seneca passim. quorum dictis alludit il-
lud Salomonis. Melior est mors q̄ vita amara.
At qui Ioānes Farnelius præfatione sui libri de
facultate naturali, subiectum medicinæ esse cor

pus humanum edisserit. sed si verum est quod præstantissimi logici profitentur, multū hoc à veritate exorbitat. siquidem edocēt subiectum cuiuslibet sciētia debere esse adequatum: sic q̄ metas illius scientia non transcendat. cum autē corpus humanum absolute cōsideratum medicinæ limites transgrediatur, non videtur medicinæ subiectum esse, nisi quid addas quod illud vt ita dixerim adequet et coarctet. nulli enim est dubium, q̄ ens in qualibet scientia cōsideratur: non tamen est subiectū cuiuslibet scientia. erit autē subiectum philosophia naturalis (vt multi astruunt) si mobile illi adiungis. Consonū est igitur veritati, q̄ corpus humanū sanabile idest cōsideratum sub ratione q̄ sanitatis est capax, sit huius insignis facultatis subiectum.

¶ SECVNDVM CAPITV-
lum de Elementis.



ANTEQVAM AD SECRE-
tiora Medicina descendamus: opere
pretium arbitror, in philosophorū
cāpis nonnihil dibagari: vt collectis
hinc fragrātibus floribus hilariores & viuatio-
res abdita medicina possimus penetrare. nec fo-
lum ex philosophorum viretis quos in hoc ca-

b ij

Enchiridion medicinæ.

pite cupio ostēdere, flores sunt excerpēdi: sed medicorū horti magnā copiam suppeditabūt. Dicat iam Galenus, quid de elementorum qualitatibus sensit, vt ab aliquorum calūnia quam sibi inuēserūt vindicetur. Enimvero dicit primo elementorum libro, ex materia & qualitatibus elementa constant. dicit etiam, summa adueniēte materia caliditate iam corpus est elemētum. His auctoritatibus mouetur Conciliator in an nexo differētię decimæ tercię: ad sentiendū esse de mente Galeni, caliditatem ignis esse substantiam, & similiter reliquorum elemētorum qualitates. quod quam alienum sit à Galeni sensu, quilibet poterit aspectare. nam si hoc sensisset Galenus: nō diceret, ex qualitatibus & materia constare elementa. quod quas ipse vocat qualitates, substantias esse censeret, credulitate vacat. An autem Galenus voluerit esse formas substantiales in elementis præter accidentales, scrutatione est dignum. quia si solum corticem suorū dictorum inspectamus: inueniemus illū de substantialibus formis in libro de elementis nullā memoriam fecisse. credendum tamen est, illum eas non negaturum: quia tamen sunt remotæ à sensu, illas nos intelligere voluit per accidentales: quæ sensui sunt notæ, neq; in auctoritatibus

citatis illas excludit. Verum est enim, quod ex
 qualitatibus & materia constant elementa sed
 non ex his solum, nec hoc ille docuit. verum est
 etiam, quod summa adueniente caliditate mate-
 rię iam corpus est elementum. quia summa cali-
 ditas nullius formę substācialis est stipatiua, ni-
 si formę substācialis ignis. atq; quod ille volue-
 rit, formas substantiales esse in elementis, patet
 ex his quę dicit in libello de substantia faculta-
 tum naturalium. vbi dicit: corpora quidem quę
 apud nos sunt, ex quatuor elementorum tempe-
 ratura cōflari vniuersa: certo me scire aio. Quę
 præterea & per se contemperētur tota, num au-
 tem se totas, peruadentibus corporeis inuicem
 substācijs an solis qualitatibus, neq; cognitu ne-
 cessarium arbitror, neq; pronuntio. Hęc Gale-
 nus. ex quibus facile colligitur: illū præter qua-
 litates formas substantiales in elementis pone-
 re. alias non diceret, peruadentibus inuicē sub-
 stācijs an solis qualitatibus. Per substācias enim
 formas substantiales elemētorum conuenit, in-
 telligere: non eorum materiam quę nullius est
 entitatis. Et nemo vsquā inquisiuit, an materia
 elementi ingrediatur in mixtum. porro elemen-
 torū qualitates quatuor sunt: vtpote caliditas,
 & frigiditas, & humiditas, & siccitas. Calidita-

Enchiridion medicinæ.

20.
tem habere ignem in summo, dixit Aristoteles, & Galenus libro de elementis. cui sententię licet gentilis accedat, prima primi doctrina secunda: audet ibi dicere, quod ignis elementum propter suam vltimam raritatem nō potest comburere. Ridiculosum est sane hoc: nam ignis quanto purior, quāto simplicior, tanto viuatiorem suam naturam habet. expertiores materię sunt radij, quos emittit sol, quāam ipse elementarius ignis: sed potentes sunt comburere. Quod autem ob suam summam raritatem elementum ignis non possit videri, est verissimū, siquidem aer qui eo est densior, ob raritatem nō est perspectibilis. porro nec elementarius ignis lucidus est: vti hic quem frequenter inspectamus: quia elementum ignis non est admixtus vaporibus, quibus ipsa lux immisceatur. nec coloratus est, vt ratioe coloris visum possit mouere. Color nāq; & sapor ex mixtione & tēperatura qualitatum primarū conflantur: qui mixtorum qualitates sunt, non elementorum. Licet quidam minime vereātur, elementis qualitates attribuere: vt videre potes apud Lodouicum celium primo libro lectionū antiquarum, capite decimo septimo. qui dicit, quosdam aquę album colorē attribuisse, terre fuscum, & rubrū igni. Huius opinionis videtur

fuisse Ioannes Ruellius primo libro de natura stirpiū, capite decimo septimo. sed ex iam annotatis claret, hæc rationi nō esse cōsentanea. equidem nō video: cur rubedo vel flauitas ignis diffundēdo suas species oculum non immutet. sed iam tempus est, quod aliqua quę elementi aeris sunt scriptatiōis, in mediū producamus. Porro Aristotelica sonat sentētia: aerem esse calidum & humidum: quod contrarium est his, quę Galenus profitetur octauo libro de vsu partium. vbi dicit, quōd aer à natura sua non est calidus, sed frigidus. Increpat enim Aristotelem; qui calidum esse aerem dixit. et laudat illum, qui de respiratione loquens, hoc non insinuauit: tanquā falsarum assertiōnū oblitus. et in secundo libro de simplicium medicamētōrū facultatibus, tractās de olei natura, dicit, quod est magna dissensio inter philosophos de natura aeris. quippe Aristoteles eum esse calidum, dicitat, et stoici frigidū esse, assertant. Et cum Galenus stoicorū placitis multū sit addictus: credibile est, hic non negaturum, quę octauo de vsu partium sit professus. Harum auctoritatum vellim Conciliatorum fecisse memoriam differentia decima quarta, & non auctoritatis Senecę, quem tanq̃ moralem, & non phisicum, ex philosophorū scholis

b iiij

Enchiridion medicinae.

excludit. Captata autem Senecę beneuolentia, tum ob suam singularem doctrinam, tum etiam quia q̄ laudauit Galenus, dogma edocuit: compendiaro sermone alias rationes volo proferre, quæ Senecę & Galeni sententiã videntur tutari. quarũ prima est, medium aeris interstitiũ semper est frigidum: sed nullum violentum est perpetuum, sequitur ergo, naturaliter & nõ violente aerem esse frigidum. Secũda ratio est, aer cum non est ad presentiam solis, qui illum calefacit: ad frigidam, & non ad calidam videtur conuerti naturam. Elicitur ergo, ex natura frigidũ esse. alias quantũlibet remoueretur sol, suã naturam seruaret. Aer etiam cum mouetur, etiam si tempus estuet, nos ipsos infrigerat. vt experientia probat, & Aristoteles testatur quinta particula problematũ, problemate decimo septimo. sed si ex sua natura esset calidus: non est cur, cũ aer moueretur, vel nos velociter moueremur in aere, quod maiorem ab eo frigiditatem senti remus. ponendo autem, quod à natura frigidus sit, claret ratio: quia sicut aqua cuius naturã frigida est, ex alto cadens, & motu nostra corpora feriens, magis infrigidat: sic aer qui etiam frigidus est. nolo hic declarare: cur aqua hoc modo magis infrigidat: & aer similiter, quia esset pro

prium scopum trāsgredi. in meo libello de philosophorū secretis abunde tractaui. vbi declarans causam, ob quā flabella infrigident: aliqua in Alexādrum aphrodiseum annotaui. hęc promunienda sententia Galeni, cui tantum medicina debet: scriptitaui, quę nō ex animo posui, vt Aristotelis decretum non probarem: quod à cōmuniter philosophantibus est receptum. licet nō me fugit, q̄ Thomas de garuo in sua summa audet asserere: aerem ex sua natura non esse calidum, nec frigidum, sed tandem omnium qualitatum immunem. quod eruditorum auribus male sonat. Siquidē hęc dicere nil aliud est: quā fateri aerem esse materiam primā. si namq; aer est cōpositum ex materia & forma, sua forma substantialis aliquas qualitates pro sua tutela exoptat. quod si exoptat, taceat iam Thomas. Ad elementum aque noster se conuertat sermo. quā esse frigidam in summo, & humidam citra summū, docet Aristoteles. sic q̄ ea frigidius nullum datur elementū, humidius autē aer datur. Hanc sententiam non videtur tenere Galenus. qui primo de simplicium medicamentorum facultatibus, assignans causas fitis dicit: q̄ omnium aqua est humidissima, & nihil est aqua humidius. hęc Galenus: quę clare monstrant, diuersum ab Ari

stotele profiteri. cui si concordem facere volumus. dicamus, q̄ cum aquam humidissimam dixit: attendit effectum, quem facit in corpore humano, qui magis humiditatem exprimit, q̄ effectus quem aer facit. Eodem modo intelligetur dictum Aetij: qui primo capi. primi libri dixit, nil esse aqua humidius. Iam quartum nos vocat elementum terra scilicet. de qua innumeras laudes præconat Plinius secundo libro, capite sexagesimo quinto. sic inquit, que nos nascentes excipit, natos alit, semelq; editos sustinet semper, nouissime complexa gremio, iam aliqua natura abdicatos tum maxime vt mater operiens. ijs similia prodidit Hesiodus. qui vt refert Galenus libro de natura humana, cõmentario primo, dixit, terram omnium esse matrem, nutricẽ, & originem. Non autem hæc isti auctores dixerunt de vero elemento. quia vt Galenus in eadẽ parte profitetur: absolutum elementum mente potius comprehenditur, quàm inuenitur. vbi dicit, Si terram prorsus frigidã & siccam cogites, quale est absolutum elementum? erit adamante corpus durius. que si sic esset, potius esset omniũ nouerca, quàm parens. nec germinarẽt semina, nec pulularent plantæ, si tam sicca & dura esset: nempe quia deesset generandis alimẽtum, & ad

ea fulcienda humiditas. Bene ergo prouidit altissimus, quod elementa quibus fruimur, non essent absoluta. ut hominum tutelae, quibus omnia creata sunt, seruire possent. simili etiam ratione dimisit multam partem terrae aquis discooperta: ut homini non negaretur propria habitatio. Seruando enim elementa suum proprium ordinem: elementum aquae, elementum terrae debet tegere. quod si non facit, diuinae prouidentiae imperio fit. Et tenendo quod haec quae tractamus, non sunt absoluta elementa (ut iam enuntiauius) facilius ab hac nos extricabimus difficultate. Siquidem cum non sint propria elementa, non eo modo disponuntur: quo disponderentur, si vera elementa essent. non miramur, quod hic ignis quo calescimus, qui elementalem ignem emulatur: licet illi non adequetur, quod sit infra aerem. et admiratione rapimur, quod aqua maris, quae tantum distat a vero elemento, terram hanc quae absolutum elementum non est, non operiat. Cesset iam admiratio. siquidem tam bene haec quae nos uocamus elementa, suum proprium ordinem seruant: quantum absoluta elementa seruarent, si terra tota tegeretur ab aqua, & aqua ab aere, & aer ab igne. immo forsan ijs nostris elementis hic esset peruersus ordo, & non talis qualis est,

Enchiridion medicinae.

quem nūc obseruant. quis negabit, maiorē partem aquæ exficcare: cum hoc tam alienū sit ab aquæ natura. Decentius fuit tamen, maris aquā esse saluginosam, & amarulentā, et exficcatiua: quā insipidam, & humetātem. nam si propriū elemētum esset (vt dicit Galenus libro de natura humana, parte iam citata) concreta esset: & subsisteret, & fluere nō posset. quod si sic esset, nisi in principio terram operisset, non posset illam tegere. vtpote quæ non posset fluere, ad illā tegendam. Non torqueantur igitur in hac enodāda difficultate philosophi: quiq; nec rem sic tractent, ac si absoluta elemēta darentur. sed licet hæc quæ diximus, quoad aliqua apparētiam habeant, non possumus, non confugere ad diuinam prouidentiam. quæ sic aquam manu tenet, vt limites proprios transire non sinat. nisi terrā altius aqua esse locatā, contendamus, quod admiratione nō erit dignum. siquidē vt diximus, hæc absoluta elementa non sunt. & sic non eo situ tam adequato, & (vt ita dixerim) tam punctuali, vt vera elementa egent. Quod si Galeni dicta de natura humana iā citata pensiculamus: neq; à prima origine pura creata fuerunt elemēta. nam si pura creata fuisset aqua, cōcreta esset, & fluere non posset. quomodo cūq; tamē sit, nō

negandum est: quod hæc quæ nos vocamus elementa, multum veris assimilatur. & quod qualitates quas absoluta elementa habent, hæc exoptant. ignis ut diximus, caliditatem & siccitatem. aer caliditatem & humiditatem. aqua frigiditatem & humiditatem. terra autem frigiditatem & siccitatem. Contra hanc receptam sententiam est Haliabas, qui primo theoricæ capitulo quinto voluit: quod elementum quodlibet unam qualitatem habet naturalem: & alteram adscititiã: quã lucrari elementum dicit à sibi propinquiori. sic dicit, quod ignis acquirit siccitatem à motu lune. & aer caliditatem ab igne. & aqua humiditatem ab aere. & terra frigiditatem ab aqua. Hæc autem sententia Heliabatis contraria est his, quæ docet Aristoteles libris de generatione & corruptione. & dissona sunt Galeni decretis libro de elementis, et multis alijs locis. nec rationes desunt: quæ hæc destruunt opinionem. inter quas hanc potissimam mihi reperi, si siccitatem ignis à sua natura non haberet: sequeretur, quod si poneretur in locis humidis, illam amitteret: quia non esset, à quo tueretur. Et similiter sequeretur, quod si aqua esset in locis siccis, humiditatem deperderet: quia non esset, quid eam custodiret. sed experientia monstrat contrarium: sequitur ergo, Haliabatem allu

Enchiridion medicinae.

cinatum fuisse. Teneamus ergo, q̄ cuilibet elemento sunt deputatae duae qualitates, quibus cū ceteris elementis pugnat. & pugnando si vincit, quodlibet aliud elementum potest ad suam naturam conuertere. et si vincitur, in quodlibet transformari. Hęc sic docet Aristoteles secundo libro de generatione & corruptione, textu cōmenti vigesimo quarto. quae longe diuersa sunt ab his, quae profitetur Galenus tertio libro de temperamentis. vbi dicit: neq; aqua mutari potest in ignem, neq; ignis in aquam, sed ambo in aerem. is vero in vtraq; at illa in alterutrum nullo modo. Sic tenet Galenus, quod non quodlibet elementum potest immediate mutari in quodlibet. quam sententiam roborare possumus maxima physica, quod non potest fieri transitus de extremo ad extremum nisi per medium. neq; ratio Marsilij in ignem, quam ille secundo de generatione multi pendet, contra hanc opinionem vires habet. dicit Marsilius. videmus cum fabri mittunt aquam in ignem, q̄ citra puluerem aqua mutatur in ignem. ergo immediate fit ignis. Huic rationi satisfacet in philosophia tyrunculus. quia aqua illa prius mutatur in aerem: & quia prius migrat in aerem, idcirco ignis euentilatur: quia aer genitus ex aqua potis est euentilare: qui inflamatus ignem

accendet. cæterum vt huic cap. extremam ponamus manum, operæpretiū est inuestigare, an elementa quoad substantiales formas in mixto maneant. porro Plato in thimeo in mixto illa manere dissertauit. cui sententiæ accessit Auicenna, tum prima primi, tum expressius primo sufficientiæ. cum dicit, quibus elementis non sufficit sola coniunctio, nec sola compositio contingēdi se, vel obuiādi sibi. vt ex hoc habeant esse generata, nisi alia agant in alia, & alia patiātur ab alijs, quousq; ex eis quiescentibus in cōiunctio-ne proueniat qualitas vniformis. Hęc auctoritas clare monstrat, quę diximus voluisse Auicennam. ex quo patet deerrare Iacobū de forliuio, qui prima primi doctrina de elemētis dicit. sub dubio est, an Auicenna voluerit elementa secundum formas substantiales cōficere mixta. Ceterum Aristoteles oppositum profitetur, quippe qui secūdo de partibus animalium, capi. primo. dicit. cum triplex sit cōpositio, prima statui potest ea quæ ex primordijs conficitur, ijs quę nō nulli elementa appellant. terram dico, aquā, aerem, ignē. sed melius fortasse dici potest ex virtutibus confici elementorū: ijsq; non omnibus, sed vt antea expositum est. Humiditas enim & siccitas, & caliditas, & frigiditas, materię corpo

Enchiridion medicinæ.

rum sunt compositorum. hæc Arist. quæ aperte declarant illum nolle elemēta quoad substātia les formas in mixto manere. hoc etiam cōfirma uit, primo libro de generatione & corruptiōe, textu cōmenti octuagesimo quarto. Si omnia hæc animaduertisset Ioannes farnelius, non diceret sexto capi. secundi libri de naturali facultate: hanc esse puerilem iuniorum, vereq; inanē sententiam: quam celebres auctores non docuerūt. cum Arist. philosophiæ naturalis clarissimū iubar, hæc quam puerilem ipse dictat professus fuerit sententiam, vt ex citatis locis liquido elicitur. quod nō præterijt Galenum, qui primo libro de methodo. dixit, Aristoteles noluit elemēta manere in mixto, quoad substātias. stoici id docuerunt. Videat igitur Farnelius, quā longe sunt sua scripta ab Aristotelis axiomatibus. nec ratio huic opinioni refragatur. Nēpe incredibile est, q̄ forma ignis quæ certam raritatem sibi diffinit, sit in ferro, aurove, tantaq; cū densitate. sed hæc philosophantibus, quorum hæc est farrago discutienda dimittamus. atq; non dissimulandum est, q̄ prædictus Farnelius parte citata audet asseuerare, vs̄piam esse elementa perfecta & pura. quod dissonum est ab ijs quæ in thimæo docet Plato, nec nō ab ijs quæ libro de na-

tura humana cōmentario primo dicit Galenus. quippe ait, absolutum elemētum mente potius cōprehēditur q̄ inuenitur. vbi etiam dicit. si terram prorsus frigidā & siccam cogites, quale est absolutum elemētum, erit adamante corpus durius. quæ perspicue condēnant Farnelij dicta.

¶ TERTIVM CAPVT

De temperamentis,



VI SERTA COMPONERE

est auidus facile ex floribus quos heri legimus texere poterit. vtpote ex caliditate quę suo purpureo colore

immixta frigiditati admodum albicāti iaspidis & saphiri mōstrabit colores. & ex humiditate multum virenti que adsuta splendenti siccitati, rutilos & instar iridis representabit colores. iā hanc coronam cōstruxisse mihi videor, que potis est deuincere corpori animā: quam nos medici merito temperamentum appellitamus. circa quod laudandum & enucleandum totus huius capitis sermo progredietur. Est igitur temperamentū secundū Auicēnā qualitas, quę ex actione qualitatum primarum conflatur. neq; Auicēna voluit, q̄ in mutua actione principum qualitatum omnes qualitates pereāt: vt falso sibi im-

Enchiridion medicinæ.

ponit Ioānes farnelius libro tertio, capi. primo. quomodo enim hoc posset dicere Auicena, qui vt iam præcedēti capite probauimus, voluit elementa quoad formas substantiales in mixto manere. quæ cum maneant ad sui conseruationē & tutellā, qualitates principes exoptāt. atq; ex eo q; forme substantiales manent, facile erit Auicene assignare causam contrariorum repugnantiæ, quæ est in genito corpore, consequēterq; senij, naturalisq; mortis. licet Farnelius Auicenam taxans contendat, secundum illum neutiq; causam posse ostendi. atq; cum hæc ipse promo, non inficior q; optime possit defendi, q; qualitatū principum, proportio vel concentus sit temperamētum: vt Farnelius dicit. assero tamen illum Auicena imbecilliter impugnare. q; si quis logicorum nodis se vellet inuoluere, cōtendere posset temperamentum non esse proportionem. nam temperamētum realiter aliquid efficit, proportio autem relatio est, quæ reale quid agere nequit, nec relatio calida vel frigida potest denominari. Sed has logicorum captiones dimittamus, quibus Farnelius dignatur se implicare. cū in eodem libro, capi. vndecimo. dicit temperamētum nullum dici biliosum, nec sanguineum, nec pituitosum, ait enim, ab elemētis non ab hu

moribus temperamentum nasci. sed sane nemo
 est qui hoc nō asserat verum: quia maxima pro
 parte iuxta hominis temperaturam fit humorū
 naturalium dominantia: proportione inq̄ serua
 ta. Idcirco ex vsu est, temperamentis ex humori
 bus nomenclaturam tribuere. nec valet argu
 mentum Farnelij, q̄ qui senio sunt cōfecti, sunt
 frigidi & ficci temperamenti. qui tamen pituita
 abundant, quia ex humoribus naturalibus iam
 q̄ nascatur, & non ex naturalibus temperamen
 tum debet oriri. senes autem plus proportione
 seruata cōtinēt melancoliæ naturalis, q̄ pituitæ.
 sunt etiā qui multum senes frigidos et humidos
 temperamento quodam accidētali vocant, sum
 pto nomine à pituita, quæ accidentali quodam
 modo in eis regnat. Cæterum qui considerat q̄
 temperamento mediante corpus potest animā
 induere: perspicuas temperamenti videbit lau
 des. sed non his solum est cōtentus Galenus: qui
 ausus est in multis suæ doctrinæ locis, hominis
 animam temperamentum appellare. vt in libro
 de rigore & tremore. & in libro tertio de locis
 affectis, facile quis aspectare poterit. de quo nō
 parum admirari subit: qui cum altiora philoso
 phiæ penetrauerit, tam insanam expresserit sen
 tentiā. versatus admodū erat in libris Platonis,

Enchiridion medicinæ.

cuius dicta semp̄ admiratur. sed in libro de ani-
mo Plato eternitatem animæ monstrat: quā nō
monstraret, si esset anima calor, qui trāsit sicut
fumus, & corrumpitur à frigiditate. sed forsan
Galenus nunq̄ in dictam descēdit sententiā. sed
per calorem cuius vitę sunt opera, per quē etiā
anima corpori nectitur, ad notitiam animę nos
peruenire voluit. Concordāt hæc cum his, quæ
dicit Aristo. secūdo de partibus animalium, capi.
septimo: vbi dicit. quod enim nōnulli statuunt
importune animā esse ignem, aut aliquā eiusmodi
vim: melius fortasse dixeris, animā in quodā
eiusmodi corpore constare. cuius rei causa est,
q̄ ad exequenda animæ officia calor omnium ma-
xime administrandi vim obtinet. Hæc Aristote-
les. quibus consonare videntur quæ dicit Gale.
libello de substantia facultatum naturalium. vbi
dicit, si naturalis in corpore equabilitas serua-
tur temperamēti, seiungi ab eo impossibile ani-
mam esse, intelligere mihi videor. proinde eius
essentiam scire, quę nam sit: neq; ad morborum
curationes, neq; ad sanitatis tutelā necesse est.
In his perspicue claret, Galenum voluisse tem-
peramentum esse animæ instrumentum: non ta-
men ipsam animam. et sane in libris de tempera-
mentis, vbi magis ex professo hanc materiā tra

Stat: nunq̄ expressit, temperamentum hominis animam esse. Tenendo igitur, q̄ temperamentū est forme substantialis instrumentum: facile etiā intelligetur, quod dicit Auerroes primo capitulo secundi libri. vbi insinuare voluit, temperamentum esse substantiam. dicemus enim, temperamentum ob id dici substantiam hominis, quia ex eius tutela pendet vita, & hominis substantia. Et similiter ex cuiuslibet mixti temperamenti conseruatione essentia mixti dependet. tēperamenti autem non simplex est species, sed multijuga. Vnum est temperamētum medium. aliud calidum. hoc sequitur frigidū. ab hoc est ficcū. deinceps est humidum. Iuxta hoc est calidum & humidū. proximū huic est calidum & ficcū. succedit huic frigidum & humidum. postremo est frigidum & ficcum. Hæc omnia nō approua- ret Auerroes, quippe qui distemperantias simplices negat. sed nos Galeni doctrinā sectamur. secundum quem vt ex libris de temperamentis patet: temperatus homo medius est inter caliditatem & frigiditatem, & humiditatem & siccitatem. licet Cōciliator, & Gentilis aliud de Galeno senserint. sed Galeni scripta de tēperamentis quæ dixi esse Galeno consentanea, prædicāt. vbi docet, temperatā naturā virtute & viribus

Enchiridion medicinæ.

reliquis præstare. cuius dicti occasione aliqui dicunt: omnes actiones corporis temperati esse præstantiores actionibus hominum distemperatorum, et tandem reliquorum animantium. sed Galenus hæc non insinuauit. Et clare constat in aliquibus operationibus, ab aliquibus animalibus superari. velocius enim currit dama, & clarius videt aquila. quis igitur negabit, in currendo superari a dama, et in videndo ab aquila: nec licet dicere, visionem hominis subordinari operationi intellectus, & ob id esse perfectiorē: cum visio ut operatio est sensitua, ab intellectu non perficitur: antequam ex phantasmatibus ille notitiam intellectiuam eliciat. & tenendo quod à solo obiecto paritur notitia: quis poterit abnuerre, quod visio quæ producitur ab homine in oculo asini, sit perfectior quàm visio quæ producitur à musca in oculo hominis. Sunt qui dicunt, quod quia omnes operationes quæ fiunt in homine, fiunt ab anima intellectiua: ob id sunt perfectiores actionibus reliquorum animalium. sed sane cum in actionibus naturalibus homo parum distare videatur à planta: & sicut intellectus excedit sensus, ita sensus actiones naturales. Teneo firmiter: quod visio, & auditio, & memoria elephanti, maioris dignitatis sunt: quam quælibet

actiones naturales hominis. neq; multum à mente Galeni descisset: qui tenuerit, in aliquibus operationibus intellectus aliquem distemperatū præstare. video enim, quod in libro de natura humana, cōmentario primo dicit, animi dexteritas & prudētia à bilioso humore proficiscitur. In libro etiam q; animi mores corporis temperaturas sequantur: ad actiones intellectus biliosam naturam multum laudat. quod si sic est: claret, illū nequaquā voluisse, ad omnes actiones mediam temperaturam valere. Experientia etiam probat: quod multi qui imbecillime sunt temperaturæ, in intellectus actionibus multos qui sunt constitutionis perfectioris excedunt. Teneamus igitur cum Galeno, quod temperatura media præstat reliquis virtute et viribus quoad actiones naturales. declarat hoc esse ad mentē Galeni, quod dicit libro decimo de vsu partium. vbi dicit: sola media constitutio ad naturales omnes actiones est præstantissima. Si enim galenus de omnibus actionibus intelligeret, nō diceret ad naturales actiones, sed omnes actiones. neq; arbitretur quis, biliosum ventriculum melius coquere: quia calidior sit, quia de calore innato magis habet temperatus, quam biliosus. & temperatior sanguis gigni potest ex chilo ge

Enchiridion medicinæ.

nito in vētriculo temperato, quã in ventriculo hominis biliosi. Porro si corpus tēperatum ad omnes actiones naturales est præstantissimum, multas habet laudes: sed ijs habet plures, quia quid diuinum est adeptum. vt Galenus dicit secundo de temperamētis. Multi autem sunt, qui non solum ijs laudibus illud decorare contenti dicunt, quod omnibus causis morbum inducentibus magis resistit quolibet distemperato corpore. aduersus quos est Galenus libro de optima nostri corporis cōstitutione. vbi dicit, quapropter sicuti à nobis paulo superius explicatū est, quod mediū dicitur, haud sane videtur, plus omnino q̄ cætera corpora morborum offensis aduersari. sed singulis quidē corporibus aliqua in re inferius est ante omnia tamen potissimum deligēdum. Omnia hæc sunt accepta à Galeno, quibus dilucidatū manet: quomodo corpus tēperatum dicatur morborum incōmodis magis cæteris reniti. Claret etiam sophistarum illorū error: qui non captata Galeni authoritate, contrarium docere nituntur: cum etiam rationi refragentur. Quod enim biliosus antea in frigidetur, quã temperatus, nõne non est absurdū? cum per plures gradus caloris aduersetur frigiditati biliosum corpus, quorū multa pars est profli

ganda, antequã veniat ad gradum caloris, quẽ
habet temperatum. Cæterum enucleandum no-
bis venit: in qua etate corpus temperatum dica-
tur, perfectiorem adeptum fuisse cõstitutionẽ.
Hoc nobis exaratum reliquit Galenus sexto li-
bro de fanitate tuẽda. cum dixit: optimã namq;
temperiem in adolescentia corpus obtinet: reli-
quæ omnes etates deteriores hac sunt. vt prius
est ostensum. Eandem sententiam profitetur in
cõmentario de salubri dieta. vbi dicit, etas quæ
est epheborum, optimo est temperamento. His
auctoritatibus conuincitur error eorum, qui di-
cunt temperatiorem ætatem esse iuuentutẽ. sua
dentur isti auctoritate Auicene. qui prima pri-
mi, doctrina tertia dicit: perfectius temperamẽ
tum esse in etate, in qua augmentum ad suũ per-
uenit finem. sed maior est captanda auctoritas
Galeno q̃ Auicene: præcipue ratione astipulan-
te. et si volunt hos viros conciliare: corripiant
syllabam mediam verbi peruenit. sed sane hoc
non erit ad mentem Auicene, qui secũdo de na-
tura animalium, iuuentutis etatem ceteris præ-
fert. Ex his manet manifestus error Conciliato-
ris. qui differentia vigesima sexta, docuit: in om-
nibus actionibus iuuenes reliquis aliarum etatũ
præstare. Hoc sane aduersum est Galenũ primo

Enchiridion medicinæ.

libro de sanitate tuenda, & sexto. dicit enim primo libro: cum enim ad omnem voluntate susceptam actionem adolefcētum etas sit aptissima: infantum certe senumq; minus ad hęc est apta. in alijs tamen functionibus quas naturales appellamus: infantes plane cæteris etatibus longe præstant. in sexto libro dicit: certe pueri corporales actiones præcipuas obtinent. Si hæc dicit Galenus, cui tantum ratio suffragatur: resipiscat iam Conciliator. quis iuuenis erit quantūlibet optimæ temperaturæ, qui sex vel octo horas comedat: vel (vt melius dicam) se ingurgitet sine magna concotricis facultatis offensa. infantes autem ab ortu vsq; ad occasum semper sugunt hubera: offenduntur autem minime. Pueri etiã reficiũt ventriculũ pane, immaturis fructibus, & tandem multis crassis cibarijs, quæ magnũ iuuenibus facefferent negotium: hi tamen incolumes manent. sed aduersus omnia citata aliquis cauillator posset insurgere, volẽs probare, tam temperatam etatem esse puerorum, & iuuenũ: sicut adolefcētium. nam iuxta ea quæ cõmuniter docentur: pueri & iuuenes habent equalẽ gradum caloris. quod si habẽt equalẽ caloris gradum: habebunt etiam equalẽ tẽperiem. Siqui dẽ ex varietate caloris tẽperies variatur. quod

si equalem habent temperiem: non est, cur dicatur adolefcētium etas reliquis temperatior. Ad hæc neoterici dicunt: quod etiam si pueri & iuuenes habent equalem gradum caloris: differunt penes metas gradus caloris. nã licet non sit amissus aliquis gradus: ex infantia vsq; ad iuuentutẽ deperditur aliqua meta. Sed non videtis hominum insaniam? si illud quod deperditur, siue sit meta, siue sit gradus: sufficiens est ad tantum variandum hominem: qualiter non verentur dicere, pueros & iuuenes esse equales in calore? pari ratione possent dicere: iuuenes & primos senes esse equales in calore. siquidem nõ minus amittitur ex calore innato ex infantia vsq; ad iuuentutem, quã ex etate iuuentutis vsq; ad senectutis initium. videant etiam quod in his quę profitentur, Galeno aduersantur: cuius dogma docere putat. aphorismo namq; decimo quarto primi libri, plus calidi innati habere pueros q̄ iuuenes profitetur. quam sententiam primo libro de sanitate tuenda confirmauit: & libro aduersus licum idipsum docuit. Calidum autem innatũ præfato aphorismo, & quinto libro de simplicium medicamentorum facultatibus, non caliditatem vocat: sed substantiam calidam & aereã. qua infantes plus pollere, quis dubitabit? sicut

caliditate vt qualitas est iuuenes. Et non in omnibus iuuenibus caliditatis intensio eque apparet. ijs enim qui frigida sunt temperaturæ & humida, caliditas magis augeri videtur. iuxta ea quæ primo libro de sanitate tuenda differuit Galenus. cum dixit: omne animans ab ipso statim ortu siccius indies efficitur: minime tamen per omnes ætates aut calidius, aut frigidius euadit. sed quorum optime se habent corpora, ijs calor similis quodammodo vsq; ad summum incrementum manet. quorum vero humida frigidaq; supra optime conditionis corpus sunt: horum calor augetur. tantum enim abest, vt hic calor qui vsq; ad iuuentutem augetur, dicatur a Galeno innatus: quod libro tertio de causis pulsuum, acquisitium illum vocat. quam auctoritatem in medium producere volo: quia dictorum plane veritatem aperit. dicit enim, Hipocrates absolute dixit: quæ augetur plurimum habent calidi, sed innati. addidit, vt qui alterum sciret, calidum acquisitium esse: quod plurimum iuuenibus suppeditat. nam temperatus est natiuus calor, acquisititius autem intemperatus, & quasi igneus est. Sic etiam ventres inquit, hyeme & vere calidissimi natura sunt. immo ne hi quidem calidissimi absolute, sed calor, natiuo. Omnia hæc desumpta sunt

à Galeno: quibus prædicta elucescunt. & cōuin-
 citur ignorantia eorum, qui aphorismū Hipo-
 cratis ventres hyeme & verē non intelligunt.
 sed tempus est iam, vt ad reliquas temperaturas
 noster vertatur sermo: nam admodū multa de
 media cōstitutione diximus. hanc sequitur tem-
peratura calida & humida, quam sanguineā ap-
pellamus. quę ab aliquibus tanti est facta: quod
 eam quoad vitę durationem temperatę præfer-
 re contendunt. sed isti plane deciscunt à verita-
 te, & mente Galeni. ratio enim dicitur: q̄ vbi ele-
 mentorum vel eorum virtutum est maior con-
 cordia: vita melius tuebitur, & magis produce-
 tur. sed in temperata natura que non passim re-
 peritur, maior concordia est. Sequitur ergo, ad
 vitę durationem esse præstātiorem. ratio etiam
 oppositum profitentium hanc sentētiam robo-
 rat. dicunt enim: q̄ quia sanguinei habēt multū
 de calido & de humido, ob id erunt longioris
 periodi. quia iuxta Aristotelē libro de senectū-
 te & iuuentute, qui sunt calidissimi & humidif-
 simi, sunt longæuissimi. Sed attendatis animum
 obsecro. de calore innato qui vitę radix est: &
de humiditate natiua non magis habent tempe-
rati, quam sanguinei. si relinquatur temperatus
 à sanguineo in calore, non in innato est: sed in

Enchiridion medicinæ.

calore quẽ Galenus ascititiũ vocaret, sicut paulo ante calorem iuuenum nũcupauit. q̄ etiam quẽlibet humiditas non faciet ad vitæ durationem, sed temperata. patet. quia alias qui sunt pituitosæ temperaturæ, in vitæ duratione reliquis præstarent. q̄ etiam hoc fit aduersus Galenum, patet: ex ijs quæ primo libro de temperamentis edocet. vbi edifferens, ver non esse calidũ & humidum, sed temperatum: clare insinuat, temperamentum calidum & humidum esse morbosissimũ. Et sane experientia monstrat, qui sunt calidæ & humidæ naturæ, esse multis morbis obnoxij: & rarerent vltimam videre senectutem, sed morte præoccupari. Vidi tamen multos gracilis cõstitutionis, quos neruosos merito appellabis: incolumen ducere vitam, & vltra limina senectutis transire, neq; ijs refragantur, quæ Galenus dixit sexto libro de sanitate tuenda. cum dixit: qui maxime sunt humidi: hi maxime sunt longevi. quia Galenus non de qualibet humiditate est locutus, sed de tẽperata. alias falsum doceret dogma: cum (vt iam diximus) sequeretur, si de hac non intelligeret, q̄ pituitosi essent longevi. Sic etiam est intelligendum dictum Aristotelis, quod in suum patrocinium cõtrarij aduocant: sed illis nequaquã suffragatur. Vt autem isti

magis suam tueantur sententiam, dicunt: temporis constitutionē calidam & humidam non esse morbosam. pariterq; asserunt, Galenū voluisse, ver esse calidum & humidum. sed sane in libris de temperamētis obnixe difitetur Galenus, ver esse humidum & calidum: quod esse temperatum, ex animo toto promulgat. licet non me fugit: quod octauo libro de decretis, recantare palinodiam est visus. cū dicit: vere frigora remittuntur, & aquæ superueniunt. Sanguis quippe tum ab imbribus, tum à dierum calore incrementum accipit. ea enim anni pars vtpote humida & calida, naturę hominis maxime cōuenit. Hęc Galenus: quæ longe diuersa vidētur ab his, quę libris de temperamentis edocet. nisi dicamus, q̄ temperies hominis temperati consistit in hoc, quod habeat temperatum calorem, & humiditatem temperatam. q̄ temperies veris consistit in hoc, quod habet qualitates multū cōformes naturę corporis temperati, quę sunt moderata caliditas & humiditas. sed de his dicta sint satis: nam forsan proprio capi. de his fiet longior sermo. Finito sermone de calida & humida temperatura, de biliosa quę hanc sequitur, nōnulla dicere decet. pro cuius laude abunde me dicere, arbitror: si quę Galenus libro de natura huma-

Enchiridion medicinæ.

na, cōmentario primo exarauit: in medium pro
duco. dixit enim: animi dexteritas & prudentia
à bilioso humore proficiscitur. si enim pruden
tia bilioso familiaris est, satis & supra laudari
potest. siquidem prudentia est omnium virtu
tum lucerna: etenim lumen præbet, quo opera
tiones virtutum sunt peragendę. Hinc magna
laus nostris Hispanis elicatur: quippe qui maio
ri ex parte biliosi sunt, & sic animi dexteritate
plurimu valent. vellim tamen, vt prudentia in
colerico feruetur, ne bilis scandeat: nam cū ex
ardet, ablegatur ab animo biliosi prudentia: re
gnat furor: qui temulētum animū reddit. Perga
mus vltra: & dicamus, quod temperies biliosa
est, quę magis facit discernere sexū. hæc reddit
homines ad virilia paratos: ad bella inquam, ad
honoris tutelam, & consequutionē, & (vt sum
matim dicam) ad omnia quæ virum plene con
stituunt. nec pituitosę nature quę quarta ab his
est, suæ defunt laudes. qui enim hæc habent, dif
ficulter propenduntur ad iram: nec leui causa ve
niunt in rixas & contumelias & suspiciones ina
nes. vt plurimū tamen qui hac dotantur tempe
ratura, sunt pigri: imbecillis ingenij, nec fecūde
memoriæ. circa quod est notandum: q̄ Galenus
libro de natura humana, parte iam citata dicit.

Pituitæ natura ad morum cultum nil facit. secū
dum quod non est dicendum, q̄ pituitosi in ali
quos propendantur mores: quia pituita in eos
animum moueat, actiue incitando. sed si aliqui
mores naturam pituitosam dicuntur sequi: ob
id est, quia pituita impediendo, & quodāmodo
priuando, est causa, q̄ animus tam solerter & vi
uaciter in suos non tendat effectus: quātum ten
deret, si à pituita non esset præpeditus. Hæc est
vera textus Galeni expositio: qui multorum di
storfit intellectus. Restat, iam aliqua de melan-
colica cōplexione propalare: quæ non parum à
sapientibus est cōmendata. hæc visus est laudaf
se Plato in libro de scientia, & in phedro. cum
dicit, furore quodā concitari ingeniosos. Solet
namq; melancolia excalecta aliquantulū hūc
furorem concitare. extollens etiam hæc tempe-
raturā Aristoteles trigesima sectione proble-
matū, problemate primo, dixit. qui scientiā fue
runt multum decorati: hi melācolici fuere. Hu
ius dicti meminit Cicero tūsculana prima: cum
dicit. Aristoteles ait, omnes ingeniosos melāco-
licos esse: vt ego me tardiozem esse, nō moleste
feram. si hæc veritatem complectuntur: nō egēt
maiori elogio temperatura, quam prædicamus.
quā vsq; ad sydera tulit Marsilius ficinus libro

de triplici vita. vbi dicit: in humore duro qualis est melancholia, detinetur spiritus, & in arctis luminis detenti atenuantur: & sic fermentati congruū possunt esse arbitrariarū actionum instrumentum. ego non renuo: q̄ melācolici ingenio valeant, non tamen asserere auderem: q̄ qui melancholia naturali dicuntur melācolici, sint ingeniosi. melancholia enim naturalis frigida est, & sicca: frigidum autem hebetat, nec finit spiritus decenter moueri. neq; ratio adducta à Marfilio, cuius prius fuit auctor Conciliator, vllius momēti est: siquidem ex illa sequitur, quod qui cerebrum habent durum, sunt perspicacioris intellectus: cum arctiores sint meatus in cerebro duro, quibus magis detineri, & attenuari possint spiritus. quod aduersum est his, quæ docet Aristoteles libro de memoria, & Galenus secūdo libro artis medicinalis, & multis alijs locis. Teneo igitur: illos melācolicos esse ingeniosos, qui aliquātilper adustam habent melācoliam. qui enim huius sunt temperaturę: intellectus habent mundum organum: calorq; talis melancholię agiles reddit spiritus: lumenq; illorū sub tali humore ita custoditur, sicut sub cineribus calidis conseruatur prunę. De ijs melācolicis prædictam sententiã protulit Plato, & Aristoteles.

eos autē qui melancolico humore naturali sunt
 melancolici, suis non defraudavit laudibus Ga
 lenus. qui libro de natura humana citato loco
 dicit: integritatis & constantiē humor melanco
 licus est auctor. hęc ab humore melancolico na
 turali manant: nam forsan quę accenditur melā
 colia, inconstantia parit. si omnia hęc bene con
 templamur: summi conditoris sapientiam admi
 rabimur: qui sic hominem quēlibet cōdidit: ut
 iuxta suam temperaturā aliquas perfectiones,
 & dotes habeat, quas alius licet sit temperatio
 ris constitutionis, non possidet. sic genuinas do
 tes distribuit: ut nemo omnibus vacuus de om
 nibus possit alijs invidere. nec sit qui omnibus
 refertus, in alijs non reperiat, quibus ipse caret:
 quibus si frueretur, nihil faceret omnes, sed tā
 quā diuinus vellet pugnare cū dijs. Optima est
 constitutio temperati: sed forte ingenio no tan
 tum valet, sicuti biliosa, vel melancolica in hoc
 laudata. alacris est sanguinei cōditio: sed vapo
 res putridos aspirat, & facile à putredine corri
 pitur. Taxat biliosus melancolicum: quia sit pu
 sillanimis: sed melancolicus retorquet tela: di
 cens biliosum esse inconstantem. mordet bilio
 sus pituitosam naturam: quia hebes & pigra: in
 surgit pituitosus, furiosus es, & instar temulēti

concitaris. Tandem in vnaquaq; natura sunt se-
 minaria: quibus quis inuideat, & inuideatur. in
 quo altissimi ostēditur infinita maiestas, & sua-
 rum diuitiarum altitudo. Cæterum quia multi
 sua sorte contenti, cupient propriam naturam
 tueri: alij vero aspernantes propriam: illam de-
 siderabūt immutare, & corrigere. operępretiū
 me facere, arbitror: si aliquid de sanitatis tutel-
 la in mediū produco. Dimissis autem varijs opi-
 nionibus, teneo (licet Musa, & Leonardus, mul-
 tiq; alij aliud de Galeno sentiant) q̄ ipse voluit,
sanitatem esse tuendam per similia, & corrigen-
dam per cōtraria. hoc auctoritatibus Galeni fa-
 cile monstrari potest. nempe in quinto libro de
 tuenda sanitate clare hoc profitetur. cum dicit:
male affecto corpori semper contraria, optime
se habenti similia viribus sunt adhibenda. quin
 etiam intemperies ipsas quęcūq; adhuc intra sa-
 nitatis fines subsistunt, si corrigere studebis: cō-
 traria quodāmodo victus ratiōe curabis. quod
 tamen per multum fit ocium. nam si in negotio
 sint, similibus vteris: potissimū cum ita fuerint
 corpora assueta. hæc sola auctoritas sufficeret:
 si omnes haberent aures acri lotas aceto. sed vt
 veritas magis elucescat: alias adducere libet. di-
 cit enim libro sexto de tuenda sanitate. porro

alimenti species si quis horum temperamētum
 distemperatorum scilicet vertere in melius stu-
 det: contraria esse intemperantia debet. sensim
 vero id fiet citra noxā: si pręsit medicus, & qui
 curatur, peragat. nam qui in rebus ciuilibus ver-
 satur, multis negotijs distringitur. huic tutius
 est, vt nec tentet, temperamētum suum mutare,
 sed accomoda sibi nutrimenta summat. porro
 apta sunt humidis quidē humida: & siccis sicca.

Si hęc dicit Galenus. cur quęso: sunt qui illi cō-
 trarium adscribant: sed vt eorum falsa conuin-
 catur opinio: alias auctoritates citare, non gra-
 uabor. in eodem enim libro dixit. sane fiunt &
 qualitatibus conuenientie: vtiq; si seruare tēpe-
 ramentum studes: humidis naturis humetare, ci-
 bo maxime quadrante, siccis vero eo qui ficcet.
 si alterare placet cōtrarijs: in eo autem qui est
 in calido, frigidoue, ad intemperātiā lapsu cō-
 traria dare. Hanc etiam sentētiam professus est
 tertio libro artis medicinalis. cum dixit: similia
similibus offerens. quam sententiam confirma-
 uit decimo nono aphorismo tertij libri dicens,
 omne quod est, a similibus quidem cōseruatur:
 à cōtrarijs autem transmutatur. id ipsum etiam
 differuit Hipocrates, & Galenus libro sexto de

grapho terra siccitatibus scalente. in libro etiã
 de inæquali intemperie, aperte hanc sententiam
 Galenus profitetur. cum dicit: sanitatis tutela
per similia perficitur: morborum sublatio per
contraria. Si omnia hæc sunt accepta à Galeno:
 non est, cur de Galeno aliud credamus. & pro-
 fecto abusive dictum videtur: corpus calidissi-
 mum frigidissimis seruari: siquidẽ frigidissima
 nimis alterando, non seruabunt calidissimã na-
 turam: immo potius permutabũt, vel corrigẽt.
 quod quia tutius est in corporibus multũ à tem-
 peramẽto deductis: ob id iure merito in multis
 locis iubet Galenus, quod contrarijs corpora
distemperata gubernentur. sed cum hæc monet
 Galenus: non intendit, distemperatam naturam
 conseruare, sed corrigere. timet namq;: si multũ
 est distemperatũ corpus: quod similibus guber-
natum, facili causa labebitur. ob quod decẽtius
 esse censet: suam naturam corrigere, q̃ cõserua-
 re. Huc tendit illud Galeni, primo de sanitate
tuenda. in corporibus in quibus aliqua qualitas
 dominatur: his vtilissimus aer est, qui ei qualita-
 ti maxime est aduersus. frigidus calidẽ, calidus
 frigidẽ, humidiori siccus, sicciori quã par est, tã-
 to humidior quanto siccitas ipsa modum exce-
 dit. hoc docens Galenus: non intendit, naturam

distemperatam seruare: quia timet ob multum
eius lapsum: quod similibus facile poterit labe
factari: tentat tamen, illam corrigere. quod etiã
voluit, in cõmentario de salubri dieta, cum scri
ptis mandauit: conseruanda quidem moderata
sunt, quę modum excedũt immutanda: iam mu
tatio no fiat nisi ex contrarijs moderatis. idem
dogma docuit: in libello de cibis boni & mali
succi. cum dicit: quibus sanguis est admodu me
lancolicus, humidi calidiq; cibi dandi sunt, qui
bus vero biliosior, frigidi & humidi: verũ vbi
pituitosus est: cibus tum opus est, qui calefacien
di, siccandi q; vires habeant. non dissimilem sen
tentiã exarauit libro primo de facultatibus ali
mentorum, nec non primo libro de temperamẽ
tis, & secundo aphorismo, & quarto tertię par
ticule, & multis alijs locis. vbi iubens, distempe
rata corpora per contraria gubernari: non intẽ
dit, vt lapsus distemperate nature conseruetur,
sed vt corrigatur: quanto enim distemperatum
magis ad naturam temperati accedet, tanto va
lidiori fruetur valetudine. si autem lapsus non
est multus, & corpus distemperatum est nego
tij districtum: non est tentandum suam sanita
tem mutare, sufficit autem vt conseruetur. Hoc
voluit Galenus, libro sexto de sanitate tuenda,
 d iij

Enchiridion medicinae.

authoritate iam citata. Prolixe admodum extra meum institutum hæc tractavi, quia recētiore quos citavi, & alij multi aliud de Galeno sentire percepi: quorum scripta aliorum ingenia poterant perturbare.

¶ QUARTVM CAPITV- lum de Humoribus.

HVCVSQVE Medicinam à limine salutauimus: nam cum philosophis negotiati sumus multum, tempus est iam, Medicinę sacraria introspicere: & quę in eius penu sunt abstrusiora, monumentis literarum cōmendare: vt nostrum decretum optatum fortiatur finem. nec decet, nos in his quę in pręsentia sumus exaraturi, à philosophorum speculationibus multum deuiare, nam philosophi ipsi viam multū illustrabunt: ad tractanda hæc, quę de humoribus cupimus dogmata, porro ab humoris finitione auspicari licet: vt clarius quę sunt dicenda, perspiciantur. Est igitur humor (iuxta Auiceneę doctrinam) corpus humidu & liquidum: in quod in primis nutriens conuertitur. Si cauillari vellemus: facile possemus, hanc diffinitionem explodere. quia secundum eam lotium meretur dici humor, & iuxta eã humo-

res nō naturales qui ex humoribus naturalibus
 gignuntur: videntur limites diffinitionis exire.
 & si quæ Galenus libro primo de facultatibus
 naturalibus scripsit, annotamus: neutiquā chi-
lus in primis nutriens potest appellari. sed ca-
 ptionibus cauillosis dimissis, illam acceptemus:
 quandoquidem additionibus quibusdam suffi-
 ciens erit. Humores autem partim sunt natura-
 les, partim nō naturales. naturales sunt sanguis,
 pituita, bilis, flava, & bilis atra. suo ordine de
 his humoribus tractauimus, exordientes à san-
 guine. Sanguis igitur est humor calidus & humi-
 dus, à calore moderato in iecore genitus. quo-
 modo autem dicatur calidus & humidus, Gale-
 nus profitetur secundo libro de naturalibus fa-
 cultatibus. cum dicit: medici eum qui in anima-
 libus est, temperatū calorem: & qui modice est
 humidus, sanguis generandi causam affirmant.
 eadem de causa, sanguinem ipsum calidū & hu-
 midum potestate succum dicunt. In primo etiā
 libro de sanitate tuēda plane fatetur: sanguinē
 calidum & humidū esse. cum dicit: præualet in
 sanguine calidum frigido, & humidum sicco.
 neq; his reluctantur, quæ dicit libro de natura
 humana, cōmētario primo, paragrapho Ita ho-
 mo. cum dicit: sed horū quid refert, meminisse.

Enchiridion medicinae.

quando sanguis ille qui temperatissimus vide-
tur, talis dicatur: quod in illo nullum suo cōtra-
rio magnopere præcellit. nec calidum frigido,
nec humidum sicco, nec siccum humido. In hac
auctoritate non negat Galenus: quod in sangui-
ne præcellat calidum frigido, & humidū sicco:
negat tamen, quod magnopere præcellant hæ
qualitates: & hoc nos etiam negare tenemur. se-
cū dum hoc facile est intelligere: quomodo san-
guis dicatur tēperatus. quia enim qualitates nō
magnopere præcellunt: ob id temperatus dici-
tur. neq; arbitretur quis: quod sine discrimine
omnes sanguinem esse calidum censuerūt. nēpe
multi fuerunt, qui sanguinem esse frigidum do-
cuerunt. vt apud Aristotelem quis facile videre
poterit: secundo libro de partibus animalium,
capi. secundo. & aliqui voluerunt, Aristotelem
in citata parte sentire: sanguinē esse frigidum.
sed modo quo sanguinē dicit frigidum: carbo-
nem ignitū frigidū appellat: in hoc sensu quod
carbo qui caloris subiectum est: frigidus est.
quod patet. nā si extinguatur carbo, remouetur
calor, & plane frigidus remanet. sic sanguis ab
Aristotele frigidus quoad subiectum dicitur,
quia si extinguatur calor naturalis, qui est in san-
guine, citra cōtrouersiam frigidus est, & sic per

affectionē calidus ab eo vocatur. Sed sane hoc
 à medicorum dogmatibus deuium non est. nam
 cum dicunt sanguinē esse calidum, de sanguine
 hominis viui intelligunt: cui tam insitus calor
 est, sicut carboni ignito caliditas. Simili ratiōe
 genitura frigida dicitur ab Aristotele quarta
 sectione problematum, problemate trigesimo
 secundo. frigida enim quoad subiectum est, per
 affectionem tamen calida. hoc sic intelligēdum
 arbitror: & non eo modo quo Conciliator cita
 ta parte declarat. Si enim quæ in secundo libro
 de partibus animalium citauimus, ipse perpen
 dit: non sic à genuina expositione deerrasset.
 porro annotandum est: quod licet subiecto san
guis & semen frigida sint, & per affectionem ca
lida: quod in semine plus est igneę substātię, in
 sanguine plus aqueę & terreę. Hoc testatus est
 Galenus primo libro de sanitate tuenda. atq;
 ad vltiora progrediendo, est notandū: quod
 licet sit dictum in descriptione sanguinis, quod
 sanguis à solo iecore generatur: quod etiam à
 venis potest gigni. hoc tamen non faciunt vene
 ppria virtute, sed à iocinoris facultate sibi mu
 tuata. Hoc exaratum nobis sic reliquit galenus
texto libro de decretis Hipocratis & Platonis.
 aduersus quem sicut in multis ita in hoc conspi

Enchiridion medicinae.

ranit Andreas vesalius. qui libello de radice
chynę dicit, cum venę albę sint naturę, non vi-
detur qualiter succum purpurei coloris gigne-
re possint. sed parũ hæc aduersus Gale. probant:
cum iam ille fateatur, q̄ non propria vi sangui-
nem creant, sed facultate à iocinere mutuata. &
licet albę sint, possunt humorem purpurei colo-
ris producere: quia non illum gignunt tanq̄ id
quod vltime ab illis creari intenditur, sed tanq̄
medium eius quod vltime cōficiunt. quippe vl-
timo producant humiditatem albissimam. me-
diat autem in hac generatione sanguis perinde,
vt solet mediare pituita in sanguinis creatione,
quę à iocinore quod membrum rubrum est gi-
gnitur. si autem magis & magis coquitur, colo-
rem adipiscitur quem iecur habet. iuxta dicta
intellectu est facile, quod dicit Gale. septimo de
decretis. vbi dicit: spiritus vitales in arterijs &
corde gigni. credo enim, q̄ spiritus vitalis ex
propria virtute cordis creatur. quod si gignitur
in arterijs, prouenit facultate demãdata à cor-
de. licet aliquis posset contendere, q̄ ipse arte-
rię propria vi spiritus gignunt. & Galeaum in
suũ patrociniũ posset aduocare. qui explicuit:
venas a iocinore habere, quod possint sanguine
creare. & non declarauit, arterias à corde hæc

accipere facultatem. sed rationi est magis con-
sentaneum: quod ratione vitalis facultatis quã
cor ipsis arterijs demãdat: creãdi spiritus, vim
habeant. Omnia quę propalauimus: sunt, iuxta
Galenı dogmata. nam Aristoteles qui tenet, san-
guinẽ in corde gigni: non diceret, venas ab epa-
te mutuari facultatem creandi sanguinem, sed à
corde. Sed nos Galeni dogmata lectamur. qui
euidenter fatis libro sexto de decretis, & mul-
tis alijs locis probat: iecur esse sanguinis fontẽ,
& venarum originem. in quo à Platone etiã de-
uiauit. qui in thimeo professus est: in corde crea-
ri sanguinẽ, & ab eo venas propagari. quod an-
notatione est dignũ: quia omnes huius opinio-
nis Aristotelem esse primũ auctoreẽ proclamãt:
falluntur tamen. eo autem quo digressi sumus,
redeundo. est aduertendum: quod licet omnes
humores sunt in venis, quia tamẽ sanguis est in
maiore quantitate, ob id alij humores nõ discer-
nuntur: sed omnes iudicantur sanguinẽ esse. ex
perientia hoc testatur: quod etiã octauo de de-
cretis docuit Galenus. vbi dicit, ex cibis sanguis
gignitur, & pituita, & geminẽ biles, sed sanguis
plurimus. vnde solus ex omnibus in venis appa-
ret, alia pauciora creant. atq; hic sanguis est no-
stra generationis quasi materia: qui ex quatuor

Enchiridion medicinæ.

quidem humoribus constat, à dominio tamen
ita appellatur. Hac auctoritate quæ diximus cla-
rent: quæ nollē, vt aliquibus errandi præberent
ansam. arbitrabuntur forsan aliqui Galenū do-
cere opinionem Drusiani: cum dicit, sanguinē
ex quatuor humoribus constare. sed nihil mi-
nus hic & in tota sua doctrina voluit Galenus:
vt hunc locum, & cætera sua dogmata speculan-
ti, est perspicuum. non esset manifestum deliriū
hoc docere: cum in extracto sanguine per venæ
sectionem flaua bilis manifeste apparet. nec opi-
nio Drusiani modo quo exposita est ab Hugo-
ne, mihi satisfacit. qui dicit, Drusianum voluis-
se solū sanguinem esse in venis, & ceteri humo-
res esse in sanguine in potentia. ad hunc sensum
quod sanguis componitur ex re conformi natu-
ræ bilis flauæ & atræ & pituitæ. ex qua cōmixtio-
ne dicit, cōflari quoddam temperamentū: quod
sequitur forma sanguinis. hoc autem tempera-
mentū debile esse affirmat. propter quod dicit:
q̄ quælibet pars facile migrat in naturā humo-
ris sibi adæquati. sed hoc à veritate est multū de-
uium: nam in sanguine nō est pars, ex qua pitui-
ta possit gigni. & iuxta sua dicta possemus dice-
re, in pituita esse tres humores. quod vellem vt
animaduerneret quidā cæsar optatus: qui in sua

quæstione de febre sanguinis, arbitrans quid
 Apolline dignum, promulgare mādauit literis
 opinionem drufiani modo quo illam explicuit
 Hugo. & tanq̄ auctor opinionis multum vene-
 rande dicit, Drufianum deerrasse, sentiendo in
 actu omnes humores esse in sanguine: cum for-
 san Drufianus ipsissimam sententiam, quam tā-
 tum laudat iste Neapolitanus dissertauit. sed iā
 tēpus est, vt de secundo humore qui pituita est,
 nonnulla dicamus: ne futilibus impediti, inanis
 videatur noster labor. porro pituita humor fri-
gidus & humidus est, à remisso calore in iecore
genitus. nec parū inquā frigidus est, sed omniū
quæ in corpore gignūtur frigidissimus. vt Gale-
 nus scriptis mandauit octauo libro de decretis
 Hipocratis, & multis alijs suæ doctrinæ locis.
 quibus omnibus si animū attenderent multi ex
 his, qui quæstiones vētillāt: nō tantū palefcerēt
 indagātes, an humor melancholicus sit frigidior
 pituita. dixi etiam in diffinitione, pituitam in ieo-
 cinore creari. aduersus quod videtur Galenus
 cōmentario primo de natura humana. cū dicit,
pituite natura ad morū cultum nil facit: sed in
ciborum prima mutatiōe generari videtur. idē
 videtur docere in libro de atra bile, cum scripti-
 tauit, porro à nobis demonstratum est, pituito

Enchiridion medicinae.

sum humorem ex pituitosis cibis in prima hoc est, ventriculi concoctione fieri: vti biliosum & melancolicum in iocinore. Eandem sententiam confirmavit cōmentario secundo, de ratione vitus in morbis acutis. cum exarauit, pituitę autē generatio in pituitosis edulijs sanguinem perpetuo antecedit: atq; generatione ipsius media cibi in sanguinem transeunt. neq; hoc deterioribus tantū cibis contingit, verum & quibusdam eorum qui salubres admodum esse videntur. vt pani & chondro. In harum auctoritate prima patet, Galenum voluisse pituitā semper in ventriculo generari. & in duabus secūdis cū edulia sunt pituitosa, & etiam si non sint pituitosa. in tertia auctoritate consentit, pituitam creari in ventriculo. qui ab hac difficultate cupit se facile extricare: dicet. q̄ iuxta Galeni enarrata pituita gignitur in iocinore: dumodo edulia nō sint admodum pituitosa, vel ventriculus nimis imbecillis. q̄ si multum sunt pituitosa: eius creatio debet esse in ventriculo. sed sane argute satis posset quis contendere, semper in ventriculo gigni, & à iecore formam nō recipere. quod auctoritatibus dictis non videtur dissonum: & videtur multum consentaneum, his quæ dicit Galenus libro quinto de vsu partium, qui dicit,

quemadmodum pituitosi excrementi necessariam quidem esse in ventriculo generationem alibi comprobauimus. & secundum hoc est dicendum, quod iecur immutat chylum: & per temperatam coctionem dat formam sanguini & melancholico humori, & intensiore calore creat bilem. pituitam autem non creat: sed pars frigidior & humidior que erat in chilo, non apta in illo tempore in sanguinem mutari. hoc recipit a iocinore, quod discernitur a reliquis partibus, ratione formarum quas iecur eis tribuit. Hoc minime satisfacit

Ioanni Farnelio, qui sexto libro de naturali facultate capi. sexto contendit, pituitam in solo iecore gigni, neque esse pituitam que creatur in ventriculo. at qui sua dicta refellere habet in animo, facile citatis auctoritatibus poterit. Dicit etiam Farnelius in eodem libro capi. quarto, humores quatuor simul & vno eodemque temporis spatio gigni. sed claret ex auctoritatibus citatis, quod esto quod teneamus, quod pituita in iecore creatur, quod eius generatio sanguinis creationem antecedit: precipue si edulia sunt pituitosa. dixi in definitione pituitae, quod est humor frigidus & humidus: quod de naturali est intelligendum. pituita enim salsa exsiccandi habet vires. gignitur autem pituita salsa secundum Auicenam prima primi,

Enchiridion medicinae.

per admixtionē pituitę tenuis cum bile aduſta.
Hoc non placet Ioanni manardo: qui decimo
oſtauo libro ſuarū epiſtolarum, epiſtola quin-
ta dicit. ego fieri poſſe non video: quo pacto ex
miſcella bilis & pituitę qualiſcūq; ea ſit, naſci ſa-
por ſaluſ poſſit. cum videā, exiguam aloes por-
tionem multiplici aqua cōmixtam, amarā eā
non ſaluſam reddere. viderimq; etiam, plerūq; pi-
tuitam per vomitum ab egrotante eiectam, cui
mixtam eſſe bilem, amaror in ore vomentis reli-
ctus oſtendebat: tam exigua tamen quantitate
vt oculatiſſimi etiā hominis viſum penitus ef-
fugeret. Quis ergo credat, ex admixtione bilis
amariffimę cum pituita ſaluſum ſaporem resulta-
re? Hec dicit Menardus. quibus arbitratur, ſatis
proſtraſſe modum dicēdi Auicene. ſed ſane mi-
nantur hęc, ſed nō percellūt. Non enim ex qua-
libet bile mixta pituitę dicit Auicena, pituitam
ſaluſam fieri, ſed ex bile aduſta. aloes enim mixta
aque non producit ſaporem ſaluſum: quia ſapor
aloes non adheret aduſtę ſubſtātię. quod ſi aloes
cōbureretur: fieri poſſet, ſi aque immiſceretur,
q; ſaporem ſaluſum gigneret, præcipue ſi aliquid
ſui amaroris amitteret. nam cum multum viget
ſapor amarus: neutiquā poterit commutari. ex
hac declaratione facilis eſt reſponſio ad ſecūdā

suam obiectionem. dicendo, q̄ hi qui euomue-
 runt pituitam bili mixtam, ob id non senserunt
 saporē falsum: quia bilis non erat adusta. si adu-
 sta enim fuisset, & debita miscella pituitę mix-
 ta, saporē falsum representaret. & certe de Ma-
 nardo admirari licet: qui rationibus tam futili-
 bus Auicena voluit expugnare: cui Aristoteles 1.
 in metheoris suffragatur. qui reddēs causam sal-
 suginis maris, dicit, ex miscella exhalationū adu-
 starum cum aqua maris saporē falsum conflare.
astipulatur Auicena etiam experientia. ex ad-
 mixtione enim cineris cū aqua sapor falsus pro-
 ducitur. si hoc ita est: quę est admiratio, quod
 ex bile adusta mixta pituitę emanet sapor fal-
 sus? neq; hęc refragantur dictis Galeni: qui secū-
 do de differentijs febrium, & secundo libro de
facultatibus naturalibus, dicit, hanc pituitā ex
 putredine fieri. cum fateamur, vtroq; modo fieri
 posse: & etiam propter serosę falsę humiditatis
 admixtionem. neq; a ratione esset alienum asse-
 rere, falsam fieri posse: per hoc q̄ multum cale-
 fiat, sine hoc quod fiat putrida. nam Galenus li-
 bro de simplicium medicamentorum facultati-
 bus, tractans de sapore falso dicit, q̄ sapor aque
 vergit in falsum si multum coquitur. pariter di-
 cere possumus: q̄ pituita fiet falsa, si ab intenso

calore multū patitur. sic solēt qui multam sunt
passi in ediam, saliuam spuere salfam: quia ijs ca-
lor redditur multum acutus, qui hanc humidi-
tatem multum exsiccat. Scriptum hoc reliquit
 Galenus quarto libro de simplicium medicamē
 torum facultatibus. *bile* bilis iam me instat, quę mi-
 hi genuina & nimis familiaris est: vt de ea ali-
quid in mediū promam. Est igitur bilis humor
 calidus & ficcus in iocinore genitus. bilis autē
 bifariam diuiditur, in naturalem & non natura-
 lem. purior & calidior portio bilis naturalis at-
 trahitur à vesica fellea: vt sanguis maneat tēpe-
 rator. q̄ autem bilis quę ad vesicam attrahitur,
 fit calidior: patet, quia purior. quanto enim ma-
 gis secreta est ab alijs humoribus, tanto est cali-
 dior: quia miscella aliorum humorum tempera-
tur. q̄ autem pura attrahatur ad sibi deputatū
 foliculum: testatur Galenus tertio libro de vsu
partiū. quę annotata esse velim ab his, qui quę-
 stiones discutiunt: ne tantū torquerētur, specu-
 lantes, an bilis quę est in venis, fit calidior, & te-
 nuior: quā quę est in vesica. quia autē bilis quā-
 tumcūq; naturalis fit, est multum amara: in ven-
triculum non infigitur amaror: namq; suo mul-
tum negotium vētriculo facefferet. Hoc desum-
ptum est à Galeno, libro quinto de vsu partiū.

quod si pēsitassent quęstiōes vēditātes: sinerēt
dicere, ad vētriculum bilem flauā fluere. porro
non naturalis bilis multiplex species est: alia di-
citur vitellina, prasina alia, tertia ab his erugi-
nosa. Conueniūt Galenus & Auicena in nomē-
clatura vitelline bilis: sed ab exponentibus Aui-
cenam disces suorum dictorum intellectionem.
illud notare te velim: q̄ multi medici cū bilem
porracei coloris excerni vident, admodum cō-
flictari egrotum censent: periculosum & ferme
letale hoc esse signum iudicant. qui si animū ad-
uerterent his, quę dicit Galenus de alimentorū
facultatibus libro tertio, non sic desperarent.
dicit enim, porracea bilis sine morbis euomitur
sepe. Ea de eruginoso humore etiam nota, quę
dixit Galenus commētario primo prorrhethico
rum. vbi dicit, flaua autem bilis cum supra mo-
dum affatur: primū quidem in eruginosum mi-
grat succum, deinde in nigrū. hęc Galenus: quę
longe diuersa sunt ab ijs, quę de eruginoso hu-
more dicit auicena. quippe qui dicit, q̄ bilis pra-
sina gignitur ex vitellina: & ex prasina cū mul-
tum affatur eruginosa. sed in his sicut in multis
potius voluit Auicena parere suo iudicio: quā
Galeni dogmatibus: cuius profitetur se esse in-
terpretem. sed non est negandū, q̄ vtroq; modo

possit eruginosus humor creari. qui autē gigni-
 tur iuxta modum Galeni, acrior et perniciosior
 erit: quā qui creatur iuxta modū Auicene. quia
 flaua bilis mordatior est, quā vitellina Auice-
 ne. Restat de atra bile pauca proferre, vt de om-
 nibus humoribus sit facta mentio. atra bilis vt
 reliqui humores, partim est naturalis, partim
 non naturalis. naturalis quę fex sanguinis est,
 non dicitur proprie atra bilis: sed melancholicus
 humor. sed iam est consuetudo, quemlibet me-
 lancholicum humorem atram bilem nominare.
 multa autem portio melancholici humoris a lie-
 ne attrahitur, cuius ad ventriculum aliqua pars
 solet mitti. qui humor (vt dicit Galenus quinto
 libro de vsu partium) actionē ventriculi iuuat.
 dicit enim: ventriculum intēdit, ac contrahit in
 seipsum, cogitq; cibos ad vnguem circūplecti,
 atq; retinere: quousq; fuerint percocti. Et licet
 Galenus hoc non declaret: intendendo & cōtra-
 hendo ventriculum, excitat appetētiam natura-
 lem. si enim qualitas huius humoris ventriculo
 non officit (vt Galenus dicit) si faciendo quod
 in seipsum cogatur ventriculus, coctionis opus
 iuuat: & hoc naturali modo. ambigendum non
 est, q; sua qualitas quę facultati appetetrici tam
 conformis est: q; contrahēdo stomachum, appe-

tentiam naturalem excitauit. Hoc insinuasse vi-
 detur Galenus libro primo de simpthomatum
 causis. vbi loquens de esurie naturali dicit: non
 parum ad esuriam frigiditas eorum quæ in ven-
 tre habentur confert. de appetentia canina pa-
 rum supra dicit. q̄ gignitur: cū vel accidus quis-
 piam vitiosus succus ventriculum mordet: vel
 totum corpus immodice digestum inops alimē-
 ti redditur. ex quo elicitur, ab atra bile naturali
 non produci appetentiā caninam, siquidem nō
 est vitiosus succus, nec inops alimeti reddit cor-
 pus. Si omnia hæc esset bene cōtēplatus Leonhar-
 tus Fuchsius: nō diceret secūda particula apho-
 rismorū, aphorismo vigesimo primo. quod atra
 bilis naturalem famem non efficit (vt quidam
 Auiceneꝝ erroneam sententiā secuti putant) sed
 non naturalem ac caninam. ego tamen non vi-
 deo, cur naturalem non efficiat. cum præter ea
 quæ dicta sunt, sua qualitas admodum amica sit
 appetenti facultati. videatur etiam hoc consen-
 taneū auctoritatibus Galeni iam citatis: quibus
 ratio astipulatur. nam si atra bilis non naturalis
 famis semper est excitatiua, sempiternæ passio-
 nis irrupimus periculum: siquidem naturaliter
 semper ad ventriculum fluitat. sed quis coerce-
 bit Leonhartū? qui tam contumeliose in omnes

Enchiridion medicinae.

no. vesi.
inuehitur. Verum enimvero si Andree vesalio
damus manus, nō mittitur melancolicus humor
aliene ad ventriculum. q̄ si non mittitur, nec cō
coctionem adiuuabit, neq̄ appetentiam excita
bit. sed hoc ipsi anathomistæ tractent. sat mihi
est: q̄ si naturalis melancolia ad ventriculū mit
titur (vt Gale. differuit) q̄ naturali appetentię
opitulabitur, atq̄ iam ad atram bilem noster se
conuertat sermo: cuius multę sunt species. vna
est enim, quę ex sanguinis adustiōe creatur. Ioā
no. 4. nes tamen Farnelius sexto libro de naturali par
te, cap. nono negat, q̄ ex sanguine gignatur atra
bilis, cuius quidem ratio est, quia si sanguis incē
ditur vel putrefit, prius necessario pars eius in
bilem flauam, pars in melancolicum succum mi
grabit. sed ego non video, cur non posset affari
& mutari in atrā bilem. non enim est necessum,
q̄ semper resoluator in bilem & melancoliam.
& cum in potentia hoc humores contineat, qui
in atram bilem possunt mutari: videtur ex illo
no. 1. posse excitari atrā bilem. sed ad alia iam trāsea
mus. porro secunda species atrę bilis est, quę ex
superassata bile gignitur. ab his est tertia, quę
ex nimis exsiccata pituita producitur. hanc vlti
mam speciem non admittit Ioannes Manardus:
no. 2. qui nono libro suarum epistolarum, epistola se

cunda dicit, pituitam nequaquam posse migrare in atram bilem. sed certe parum munit suam sententiam. nam dicere, quod pituita quantumcumque exsicce-
 tur, semper manet alba: est a veritate alienum. si enim a calore intenso exsiccat, rationi est consentaneum, quod cum patitur a tali calore, aliqua exhalationes vel fuligines ab ea efflabunt, vel euaporabunt: quae si ei admiscentur, reddetur nigra. Est etiam ratio euidentis contra illum. calor temperatus ex pituita potest gignere sanguinem: & sanguis ab intenso calore potest fieri atra bilis: ergo pituita ab intensissimo calore potest fieri atra bilis: quia calor intensus ex pituita non gignet sanguinem. sed immutando illam ad aliam speciem, non videtur ad quam, nisi ad atram bilariam. Adde etiam, quod cum humor iam ficcus est, pituita esse desinit: ut elicitor ex dictis Galeni libro de causis morbi. cum dicit: donec humor frigidam & humidam seruauerit naturam: ex pituitate genere erit. ex quo consequitur, quod si tale naturam non seruauerit: non erit ex genere pituitate. Quae diximus, etiam videtur nimis consona his, quae dixit Galenus libro finitionum medicarum. ubi dicit: ex terrificata pituita fit melancholicus humor. si hic non est liber Galeni: ascribatur auctoritas proprio auctori. Si in scirris

autem vbi pituita est multum indurata, illa apparet alba, ob id est, quia à frigidityte & ficcitate fuit indurata. si autem à calore eam affante induraretur, ad tetrum colorẽ perueniret: & forsan prius in colorem mutaretur viridem, deinde in nigrum. vt contingere solet in his, qui graui pectoris vel pulmonis morbo laborant: qui prius solent, expectorare sputum album deinde viride postremo nigrum. & credibile est, q̄ humor qui erat albus: per continuam affationẽ est mutatus in viride deinde in nigrum. Si omnia hæc bene pensitantur: quilibet ad rationes Manardi poterit respondere. tam enim futiles sunt: q̄ non decebat nos tãtum immorari in his explicandis. in summa hucusq; diximus: quod sunt quatuor humores. quorum primus est sanguis calidus & humidus de aeris natura. bilis flaua calida & sicca de natura ignis. pituita frigida & humida de natura aque. atra bilis frigida & sicca de natura terre. Humores enim sunt secunda elementa: quę primis quodãmodo correspondent. Plato autẽ in libro de natura, aliter de humoribus sentit. quippe qui dicit, pituitam esse de natura aeris: & flauã bilem de natura aquæ. sed (vt in lib. ~~octavo~~ de decretis dicit galenus) Plato non fuit admodũ medicinæ peritus. ij au

tem quatuor humores specie differunt: vt elementa quatuor, quibus correspondent. Hoc sic docuit Galenus octauo libro de decretis Hippocratis & Platonis. quod si aduerteret Conciliator differentia vigesima nona: non diceret, solo accidente differre. Si enim (vt dicit Galenus) homini dederis medicamentum pituitam educens: pituitam euomet. si bilem purgantem portionē, bilem vomet. Simili modo atra bilis educetur, si atram scientibus medicamentis prouocaueris. si autem specie nō differrent humores: neutiq̄ hic seruaretur ordo. quia ratione similitudinis quę inter medicamentum & humorem est, fit attractio. hęc autem similitudo ex substantialibus formis emanat. Ceterum hi quatuor humores nutrimentum sunt nostri corporis membrorum, sed non omnium. Quarto enim libro de sanitate tuenda, & tertio libro de facultatibus naturalibus, & sexto libro de decretis Hippocratis, aperte voluit Galenus: ventriculū chilo nutriri. breuitati studēdo, solum volo auctoritatem sexti libri de decretis in mediū producere: quia ceterę idem sonant. nempe dicit: constringitur venter ad cibos, accomodatū sibi alimentum ex illis eliciens: quoad saturatus ac perfecte repletus quidquid superat excrementi, in

geminum expellat. Attrahit inde etiam iecur. cibum in ventre prius concoctum: qui non ea quidem causa a ventre immutatur, ut iecori suppetetur. In hac auctoritate clare voluit Galenus: quod chilo ventriculus alatur. voluit etiam: quod ventriculus solum intendit conquirere alimentum sibi necessarium: & quod postquam satiatus est alimento sibi sufficienti, reliquum tanquam onerosum nititur expellere. Hoc longe diuersum est ab his, quae docet Auerroes trigesimo secundo capitulo tertij libri suorum collectaneorum. vbi dicit: quod ventriculus nititur restaurare, quod dissolutum est ab eo & alijs membris. sed in his & in reliquis subscribendum est Galeno: cui docenti velim, ut praestaret aures Gentilis de fulgineo. ne decima tertij diceret, quod in ventriculo est duplex appetitus proprius & communis. proprium appetitum appellat, qui fit respectu proprii nutrimenti: communem vocat, qui fit respectu nutrimenti totius corporis. sed hoc alienum est nimis a decretis Galeni. quippe qui sicut negat, quod ventriculus intendat concoquere pro toto corpore: negare tenetur, quod appetitum communem habeat. Si quidem si daretur appetitus communis: subordinari deberet coctioni ventriculi communi. sed haec non datur. & sane si hic appetitus communis

daretur: ventriculus non tam naturale esset organum, quàm animal quod ratione mentisque præditum, quod melius est eligeret. Hac ratione utitur Galenus tertio de facultatibus naturalibus: ad probandum ventriculum non circa cibos se contrahere, ut reliquis membris elaboratum mandet nutrimentum. quæ non minus probat, appetitum communem ventriculo non esse ponendum. atque non intelligas, me diffiteri ventriculum non concoquere pro toto corpore: communis enim concoctio in ventriculo est. Affero tamen, ventriculum concoctionem communem non intendere. quod si Fernelius libro sexto de naturali parte dicens in ventriculo esse duplicem concoctionem peculiarem & communem: vult communem à ventriculo esse intentam, certe fallitur: nec sua dicta possunt esse consentanea ijs, quæ ex Galeno citauimus.

¶ QUINTVM CAPITV- lum de Membris.

MULTA SVNT, Quæ in mediũ promere instituimus: ipsa tamẽ sermonis sequella ducimur ad tractandum de membris: quorũ constituentes partes humores sunt. de quibus præcedenti capite iam plura diximus. Porro membrorum proprium est (ut Galenus

dicit primo libro de usu partium) nec vndequaquam circumscriptionem habere propriam: nec vndequaquam esse coniuncta alijs. membra autem in multas secantur species. sunt quae dicuntur simularia. sunt quae appellantur organica. diuiduntur etiam membra in spermatica et carniformia. adhuc in principalia, & non principalia. De prima diuisione nihil hic est dicendum. nam vt iam sepe dixi: solum est meum institutum, ea literis mandare, quorum ab alijs non est facta vera vel integramentio. Ad secundam ergo diuisionem descendendo, notandum est: quod Auicena prima primi doctrina quinta dicit: membrorum alia sunt quae generantur ex spermate, quae sunt similiarum partium membra praeter carnem & adipem: & alia sunt quae ex sanguine generantur sicut adeps & caro. quod enim est praeter haec duo, ex duobus generantur spermatis: masculorum spermate & spermate mulierum. Haec dicit Auicena. quae sic sunt intelligenda: iuxta ea quae dicit Galenus libro de foetuum formatione. quod membra spermatica primam esse semine generationem habent. sed postquam creata sunt: a vulua attrahitur sanguis, quo dilatantur, & in longitudinem producuntur. & quia sanguine nutriuntur, & mediante sanguine augentur: ob id dixit Galenus secun-

do libro de elementis, quod omnes animalium sanguineorum partes ex sanguine matris sunt generate. neque obstat, quod decimo quarto libro de usu partium exaravit. ubi dicit, quod sanguis menstrualis non est prima materia, atque gignendi animalis propria. fatemur namque (ut iam diximus) quod spermaticorum membrorum prima ac propria materia est semen: sed mediante sanguine augetur semine, & dilatatur. sanguis enim menstrualis qui tempore fecundationis foras non emittitur: sufficiens est, fetus membra alere. quippe qui solum quantitate peccat: teste Galeno tertio de simpthomatum causis. que si aduerteret senex Zoar ultimo capitulo tertij libri theirsir: non tantum in sanguinem incusaret, & tanquam nutritioni ineptum repudiaret. dicens, quod si fetus ex tali sanguine nutriretur, neutiquam aura vitali gauderet. sed gauderet utique: siquidem hic sanguis laudabilis nutrimenti est. expurgatur namque a calore infantis: & pars non apta nutrire, tanquam feculentum quid in utero seruatur: que tempore partus est expellenda. nec nos terreant Plinius & Isidorus: qui in tam pravam qualitatem sanguinem menstruum dicunt esse euectum: quod referunt: quod si eo vescantur canes, quam cito rabie concitantur. eoque infici arbores aiunt, suumque nitorem

amittere metalla: tam maleq; de hoc sanguine audiūt, tanq̄ de re admodum venenosa. sed nos iuxta Galeni decretum iam citatum, prauę qualitatis hūc sanguinem esse expertem iudicamus. licet pro confesso habeamus, q̄ sanguis qui ser uatur in vtero grauidationis tempore, & tēpo- re partus propellitur: sit prauissima qualitate in- fectus. hic enim sanguis est impurior pars illius, qui fētum nutriuit. & seruatus extra propria va- sa, quę venę sunt: non potest nō infici. quod be- ne animaduertens Gale. tertio libro de morbis vulgaribus, cōmētario tertio, multum timet de mēstruorū suppressione: si à partu est. quia hūc sanguinem prauissimū iudicat. si de hoc sangui- ne loqueretur plinius: facile ei acquiesceremus. sed non est, cur illi subscribamus: si de omni san- guine mēstruo loquitur. quę enim esset mulier, quę sine grauissima noxa vitā duceret: si illi mē- struorum purgatio esset suppressa: si tam praua qualitate esset hic sanguis maculatus. grauātur mulieres, si menses non respondent: non tamen acriter torquentur, quantum si sangnis esset ve- nenosus. perpendat hęc, quę ex Galeni officina sunt deprompta gentilis: & non dicet prima pri- mi doctrina quinta, sanguinem mēstruū praua qualitate esse infectū. nec Hugo in eadē doctri-

na asserit: q̄ in muliere inculpata sanguis menstruus profluet, quantitate non peccans. cū quā tumlibet mulier optima fruatur veletudine, hic sanguis tanq̄ exhuberans ad vterum demandetur. Atqui si quę diximus veritatem complectūtur: constat, repudianda esse, quę dicit Ioannes Farnelius septimo libro de naturali parte capi. septimo. quippe qui asserit, menstruum esse perniciosę naturę, & eo embrio nullatenus posse ali. & tandem non melius de eo audit, q̄ Plinius & Isidorus. at nos ex Galeno iam citauimus, solum quātitate esse noxium. in libro etiam vndecimo eiusdem libri dicit Farnelius: sanguinem menstruum tempore grauidationis in vtero nō contineri, sed in venis mulieris. sane hoc nō est difficile creditu. vt ingenue fatear, videtur elici ex ijs, quę dicit Gale. tertio de morbis vulgari- bus cōmentario tertio cōmento textus, mulier quædam quę apud frigidam aquam. Sed si sanguis mēstruus est tā infectę & prauæ naturæ, vt Farnelius dicit: admiratione esset dignum, q̄ aliqua essent vterum gestantes, incolumen ducentes vitam: in quarum venis tam infectus & perniciosus humor residet. multas tamen grauidas tibi videre licebit, optima fungentes valetudine, et forsan melius degere q̄ antegrauidationē.

f

volens etiam aliquis iam dicta refutare, posset dicere. esto quod sanguis non esset tam infectus, non videtur in venis grauidę detineri. nam si hoc ita esset, nulla esset grauida bene colorata, beneque appetens, cum ille sanguis non posset non facere magnum negotium. Hęc ipse considerans, ratus sum nonnunquam in venis vteri qui inter omnes corporis partes plurimas & gradissimas venas habet (vt dicit Gale. sexto de morbis popularibus commentario primo) sanguinem contineri. videtur enim, quod membra deonerari se cupientia ad destinatum locum sanguinem debent mittere: si nil est impedimento. mittent ergo ad venas vteri, e quibus puriorem & perfectiorem partem pro suo alimento attrahet fetus. quod si tibi videtur, tantum sanguinem in illis venis non posse contineri: dic vt libet. considera tamen, quam admiranda fiunt in conceptione: de egressu scilicet infantis, post partumque de vteri contractione. Quae omnia videntur admiratione digniora, quam vt tantum distendantur vteri venae. quis etiam non mirabitur disseccans vuluam considerans, quod duos vel tres fetus simul complectebatur: cum & vnum habuisse videtur difficile. sed de ijs haec tenus. Est secundo notandum: circa ea quae ex Auicena citauimus, quod aliqui dicunt, non omnem

carnem ex sanguine generari, sed solum lacer-
tosam. itaq; negant isti: quod caro iocinoris &
cordis creetur ex sanguine. sed aduersus istos
expresse est Galenus tum multis locis, tum ex-
presse libro de fetuum formatiōe: vbi iecur &
cor ex sanguine gigni fatetur. sed cum que pro-
pagantur, eandem videantur habere naturam,
ijs à quibus fit propagatio: consentaneum vide-
tur, iecur & cor ex semine esse creata. siquidem
venę & arterię spermaticę sunt nature. alias au-
tem parum probat ratio Galeñ. qui eo q; nerui
substantia cerebro assimilatur, probare nititur
neruos à cerebro propagari. hoc alijs indagan-
dum dimitto. & de adipe iam aliqua pmamus.
que quia à frigido est coagulata, frigide tempe-
rature ab Auicena iudicatur. aduersus quem est
Aristoteles: qui octaua particula problematum
problemate octauo disseruit, pinguedinem esse
calidam. quod etiã confirmauit Galenus primo
libro de elementis. cum dixit: adeps vero calida
& humida est. quam sententiam non preterijt
quarto libro de vsu partium. reddens enim cau-
sam, propter quam omentum est calidum. dicit:
quia multas habet arterias & venas, & pingue-
dinem multam: que calida est. Ratio etiam huic
sententię astipulatur: facile namq; ascenditur.

Enchiridion medicinae.

Gentilis prima primi doctrina quinta disputando, dicit: signum est pinguedinem esse calidam: quia circa cor quod est membrum calidissimum creatur. sed hanc rationem non admitteret Galenus: qui libro primo de temperamentis hæc quoque iam referam, monumentis literarum mandavit. dixit enim: cerebro est humidior adeps, cui concretio contingit: propterea quod membranis adiacet. crasso namque oleo est similis, eoque congelatur, ubi cum frigidis & exanguibus particulis coniungitur. at neque circa iecur coire adeps potest, neque circa arterias, venasve, aut cor, sed neque circa aliam ullam præcalidam particulam. quoniam autem cogitur, per id quod est valde frigidum: idcirco calcata liquatur ceterorum coagulorum ritu. Hæc Galenus. in quibus clare docet: circa cor adipem non generari. ex ipsa etiam auctoritate elicitor, quod circa membranas coagulatur adeps. ubi etiam dicit: quod id fit per valde frigidum. sane ego non video: quod membrum in corpore sit valde frigidum. esto enim quod membranæ quibus adiacet adeps, ex sua genuina temperatura frigide sint: ex calore autem qui ab alijs membris illis influitur (præcipue si in pectore sint) neutiquam infrigidare valebunt, sed calfacere. quæ cum infrigidare non valeant: nescio, quomodo

coagulare poterunt. in lapide enim qui citra cō-
 parationem frigidior membranis est: nihil coa-
 gulari poterit, si ad ignem calfatus est. videtur
 etiam, q̄ cum actio naturalis sit illa, qua adeps
 in corpore cogitur: quod à frigiditate non pos-
 sit oriri. Siquidem teste Galeno libro tertio de
 simpthomatum causis: frigidus nulli functioni
 est ex vsu. si omnia hęc contemplaris: arbitrari
 defines, ab intenso frigore cogi adipem in cor-
 pore. & sane si dogmatibus Galeni nō essem tā-
 tum addictus: asserere auderem, adipem à calo-
 re non intenso per naturalem coctionem inspif-
 sari, & incrassari. neq; huic obstat propositio fa-
 mosa à Galeno citata: quod quę liquantur à ca-
 lido, coagulantur à frigido. dicerem ego, esse ve-
 rum: q̄ quę coagulantur, vel formantur, à natu-
 rali calido non eliquantur, vel dissipantur: nisi
 à sibi contrario. & quia adeps à naturali calido
 est coagulata & tandem formata: ob id eliqua-
 tur à calido externo: qui contrarius admodum
 est genuino calori. caro etiam ab innato calore
 generatur: dissipatur tamen, & quodāmodo eli-
 quatur ab adustiuo calore. sic videmus: q̄ licet
 in gradu non habeat plus caloris senex febrici-
 tans, q̄ iuuenis biliosus incolumis: q̄ lotium pin-
 gue solet reddere febriēs senex, & non biliosus

iuuenis. quia calor illius senis quia externus & innaturalis est, est eliquatius, non sic calor illius iuuenis. Postq̄ autem hæc scripsi: vidi Aristotelem, meis dictis suffragari. quippe qui primo libro de generatione animalium, capi. decimo nono, pinguedinem esse sanguinem concoctum dissertat. in libro etiã secūdo de partibus animalium. capi. quinto. seuum & adipem esse sanguinem cōcoctum, etiam disserit. quæ sane quæ diximus, & vallāt, & fortiter muniūt. atq; si materia ex qua creatur adeps, perfectiorem coctionem admitteret: æque induraretur à concoquēre calore. atq; omnia quæ propalauit: in hoc stabiliuntur. q̄ eliquatio adipis quæ fit ab innaturali calore, diuersa & admodum contraria est actio veræ coctioni, quæ fit à calore genuino. quæ si consideras, videbis: q̄ esto q̄ à calore natiuo inspissetur, & concoquatur adeps: non eo inficias ire propositioni famosæ. quæ eliquidantur à calido: coagulantur à frigido. Ceterum de tertia diuisione nonnulla dicere refert: vt incepto sermoni coronidem imponamus. Est igitur tertia diuisio, mēbra partim sunt principalia: partim non principalia. principalia appellat Galenus secundo libro ad glauconem cor. cerebrū. iecur, & testes. Plato autem in thimeo omnem

principatum videtur tribuere cordi. quam sententiam Aristotelis schola proclamat. qui autē prolixis quæstionibus solent doctrinam perspicuam offuscare, dicunt: quod membrum principalissimum solū est cor: quia ad suas actiones aliorum opera non eget. alia autem narrata mēbra licet sint principalia: nihil sine cordis auxilio possunt actitare. & sic dicunt, posse concordari Aristotelem & Galenum. quia Aristoteles solū vnum mēbrum principalissimum esse differuit. sed sane deciscit hoc à galeni mente. quippe qui secundo de decretis dixit: cerebrum nō indiget cordis opera: vt sentire, & per voluntatem fungi suo officio animal queat. in libro etiā tertio de decretis licet fateatur, quantum ad vitam atinet, cor esse præcipuum: negat tamen, absolute & simpliciter præcipuum esse appellandum. dicit enim: neque enim cordi natura id tribuit, vt dominaretur, imperaretque alijs, cum regere, gubernare hominis corpus, opus esset: sed cerebro imperium, cordi obedientiam demandauit. in libro tamē septimo methodi magis stricte loquitur, dicens: officium cerebri æque esse necessarium ad vitam, sicut officium cordis. si hæc dicit Galenus: quare isti somnia fingunt? & multo magis sunt incusandi: qui dicunt, non esse alienum

à mente Galeni: cerebrum & hepar esse mēbra principalia: sed gerere vices membri principallissimi: quod est cor, à quo facultas sensitiva & nutritiva primam ducunt originem. sed nil minus docuit galenus: vt ex citatis partibus et multis alijs colligitur. tenendo ergo cum Galeno, quatuor esse membra principalia: puta cor. cerebrum. iecur. & testes. est notandum, q̄ nō quilibet ventriculus cordis & cerebri eque principalis reputatur. quippe aristotelis dextrū signū cordis perfectiorem censet: Galenus autem sinistrum. sed galeni dicta validioribus rationibus sunt munita: vt legenti libros de vsu partium, et de decretis elucescet. vbi dicit: cor esse in medio pectoris: & nō declinare ad sinistram: quod est aduersus Aristotelis dogma. in sexto enim de vsu partium dicit: suscepit autem hominum vulgo opinio: non in medio adamussim, sed magis ad leuam quodam pacto cor esse locatū: sed mediū plane est. non modo huius modo dimensionis quę ex latitudine expectatur: sed aliarum etiam duarum quę ad profunditatem thoracis ac longitudinē pertinent. Aduersus hæc Cornelius celsus est, qui capitulo primo quarti libri suę medicine dicit: sub sinistiore mama situm est cor: duosq; quasi ventriculos habet. quodq;

plane difsonū fit ab his, quę docet Galenus parte citata: iam vidisti. secundo etiam de decretis dicit, basis cordis in medio prorsus totius thoracis sita est loco, mucro inferiorq; pars tantū protenditur, quantum cordis magnitudo occupat spatij. Ex hac vltima auctoritate elicitur error eorum, qui vanis conciliationibus delectantur: dicētes centrum cordis esse in medio pectoris: sed eius basim declinare ad leuam. cum Galenus basim cordis esse in medio thoracis fateatur. Descendamus iam: & de reliquis membris principalibus (si quid est annotatu dignū iuxta nostrū decretum) promamus in mediū. porro aduertendum est, q̄ non quilibet vētriculus cerebri equalem habet dignitatē: sed postremus est perfectior reliquis. vt septimo libro de decretis Galenus docet, quam sententiam octauo libro de vsu partium, & tertio libro de locis affectis confirmauit. & vt ex multis vnam auctoritatem citem. dicit septimo de decretis: postremi quidem ventriculi cerebri vulneratio maxime omnium animal ledit, secundo loco medij, minima ex anterioribus vtriusq; noxa contrahitur. ex quo conuincitur error Auicenę: qui prima tertij, tractatu tertio, vulnerationem medij ventriculi periculosiorem censuit, q̄ postremi,

& consequenter voluit, medium ventriculum esse perfectiorem. Verba Auicena hęc sunt. & propinquior ad incolumitatem quidem incisio est, quę cadit ad saturationem duorum ventrũ anteriorum: illę vero quę in duobus ventribus posterioribus fuerint, sunt prauiores, & ea quę fit in medio, prauior ea quę fit in posteriore. hęc Auicena: à quibus diuersa sunt dicta Gale- ni: sed longius diuersa ab his, quę in eadem par- te dicit Gentilis. qui dubitat: an ventriculus po- stremus sit perfectior anterioribus: cũ hoc neq; ab Auicena quem exponit, sit dubitatum. Vlte- rius annotandum est, quod multi dicunt, cogno- sci membrũ esse principale in hoc, q; gignat spi- ritus. quorũ dicta si veritatem amplexatur, sunt sic intelligenda: quod solũ membrum principa- le propria virtute potest gignere spiritus. nam iam supra diffinitum est: q; venę facultate à ie- core mutuata, & arterię virtute à corde acce- pta, possunt spiritus creare. nec omnes consen- tiunt, quodlibet mēbrum principale posse spiri- tus generare. Auerroes namq; secundo colliget, non consentit: q; iecur habeat facultatem crea- tricem spiritus. quam sentētiam esse conformē Galeni dogmatibus, contendit probare Ioānes manardus decimo quinto libro suarum episto-

larum epistola decima quinta. non tamen sue rationes tam valide sunt: vt si quis oppositum voluerit tueri, facile non possit. sed si in quaestione multum ab alijs ventilata immorarer: ab instituto discederem. quomodo cūq; hoc tamen sit: est tenendum, solum mēbra principalia propria vi posse spiritus gignere. ex quo perpenditur magnus error Gentilis de fulgineo. qui prima tertij, tractatu primo dixit: perfectiorem formā dari spiritui animali in plexu retiformi, quā in cerebro. quod si esset verū: sequeretur, retiforme plexum esse principalius mēbrum cerebro. suū etiam dictum præter manifestam falsitatem quā includit: nimis alienum est à Galeni doctrina. quippe qui in varijs locis edisserit: spiritum animale a cerebro vltime perfici. in libro enim septimo de vsu partium hæc literis mandauit. Ceterum spiritus qui ab asperis arterijs extrinsecus trahitur, in pulmonis quidem carne primum conficitur. tum autem in corde, atq; arterijs, & ijs maxime quæ in plexu sunt retiformi. Vltimū ac perfectissime in cerebri ventriculis: vbi vtiq; & animalis primum exacte efficitur. in tertio etiam de decretis similem sententiā profertur. cum dicit: in inferioribus partibus conceptam prudentiam qui est spiritus animalis in ca

pite adolefcere, ac perfici: & præcipue circa ver-
ticem. Si hæc monumentis literarum tradita re-
liquit Galenus: nonne nõ taxandus eft Gentilis?

¶ SEXTVM CAPITVLVM.

De humani corporis facultatibus.

HOMINEM, Effe bene gubernatam
republicam: Aristoteles memorię pro-
didit. qui sane verum dixit. siquidem cū
corpus optima fungitur valetudine: ita guber-
natur, q̄ mēbra maioris dignitatis inferioribus
imperant, imbecilliora superioribus obtempe-
rant, vti in republica cōtingit. porro hoc impe-
rium, hoc vtiq; obsequium accomodum nimis
est: & perquã necessarium totius corporis regi-
mini & tutelę. Gubernatio autem per faculta-
tes multas quę in corpore sunt, perficit̄: de qui-
bus in præfenti capite nonnulla propalabimus.
facultatem autem appellamus actionis initium:

id est, id à quo actio perficitur. sunt autem facul-
tates tripartito ordine diuise. sunt namq; facul-
tates naturales, has sequitur facultas vitalis,
tertię sunt facultates animales. porro facultates
naturales nostrum corpus dispensantes nutritici
facultati subordinatę quatuor sunt. scilicet fa-
cultas attractrix, retentrix, cōcoctrix, & expul-

*tres fa-
cultates*

nales. attractrix, retentrix, cōcoctrix, & expul-

704 -

trix. Harum facultatum definitiones disce à ga-
 leno libro de facultatibus naturalibus. à nobis
 nunc indagandum est, an præter has facultates
 naturales sit necessum alias ponere. quia video
 Galenum sexto de locis affectis, facultatem ap-
 petentiam dictam ponentem. cum dicit: igitur ra-
 tioni est consentaneum: hunc affectum à celeri
 dissipatione incipere, omnibus partibus attra-
 cttricem, atq; ei coniugatam facultatem que pro-
 prie appetentia vocatur seruantibus. In hac par-
 te claret, Galenum aliam facultatem à dictis ad-
 mittere. in libro etiam primo de sanitate tuenda
 videtur, hanc facultatem approbare. cum dicit:
 quo factum arbitror: vt natura non animalibus
 modo, verum etiam stirpibus insitas quasdam vi-
 res, deficientis ac desiderati semper appetentes,
 ab initio statim dederit. si in stirpibus hanc facul-
 tatem esse consentit Galenus: incredibile esset,
 qd esset membrum à quo illam excluderet. sed si
 bene dicta à Galeno perpendimus, facultas hæc
 non est separanda ab attractrice: immo ipsissi-
 ma est. propter quod sub nomine attractricis
 eam nos intelligere voluit. facultas namq; attra-
 ctrix ea est, que conueniens attrahit, & ad illud
 attrahendum propeditur. & sic facultas que at-
 trahit, quodammodo dicitur appetere. merito

an plus
 qd pon
 sim simi
 tares
 nales

no.

igitur facultatem quę appetētia dicitur, in multis locis subticuit Galenus: siquidē (vt diximus) eadem est cum attractrice. eius namq; facultatis cuius est attrahere, est appetere: explicando igitur attractricem, appetentiam insinuauit. & sic dixit sexto de locis affectis, esse coniugatam appetentiam cum attractrice: ac si clarius diceret, sub facultate attractrice includitur appetentia. aliqui sunt, qui nominando facultates non nominant facultatem attractricem sed appetētiā: per appetētiā attractricem nos intelligere uolētes. locupletissimus est horum quę diximus, Alexander aphrodiseus. qui quinta particula suorum problematū, problemate quinquagesimo nono, numerando potentias naturales: nō facit memoriā facultatis attractricis, sed appetitiue. verba Alexandri hæc sunt. cur naturales quidē potentię nobis cognatę sunt: animales autē acquiritię? q; naturales quidē appetitiua (inquā) retentiua. distributiua. & expulsiua. ad ipsam uitam uiuentium respiciunt: quod necessariū est habentes. hæc Alexander. vbi claret, attractricē potentiam nō nominasse: sed appetitiuam facultatem primam naturalium esse dixisse. Constat igitur: auctores explicātes facultatem attractricem, per eam etiam nos appetitiuam intelligere:

velle. & cum exprimunt appetitiuam, & subtrahunt
attractricem: per illam hanc ipsos significasse.
 itaque quod si attractrix est facultas idoneum ad
 se alliciens cum quadam appetentia, & facultas
 appetitiua dicatur, que naturali appetitu quod
decentius est trahit. nihil refert, si hanc faculta
tem attractricem nomines: vel appetitiuam, cum
 inter appetentiam modo dicto nominatam, vel
 attractricem: prorsus est nullum discrimen. Ce
 terum annotandum est, quod Auerroes praeter
 has facultates quintam posuit: quam discretiuam
 vocauit: secundo suorum collectaneorum, capi
 te nono. officium huius facultatis dicit esse, discer
neret humores congruos ab incongruis. sed cum
proprium facultatis attractricis sit, attrahere quod
congruum est, & facultatis expellentis sit, expel
lere quod congruum non est, non est necessarium,
 hanc facultatem illis accensere, cum per faculta
 tem attractricem & expultricem decens fiat hu
 morum discretio. hoc ex Gentili est desumptum.
 Circa hoc tamen est notandum: quod Galenus visus
 est, hanc facultatem admittere libro de renum
 affectus dignotione & medicatione. cum dicit:
ex medico quidem purgans medicamentum, ex
natura vero totum negotium pendet: haec etenim
a purgante medicamento excitata facultate se-

am
 S. fam
 epamer
 roc

Discre
 dicitur

gregatricem aduocat: qua segreget inutilia ab
 vtilibus. ac vtilia quidem retentrix facultas de-
 tinet: inutilia vero expultrix facultas expellit.
 In hac auctoritate patet: facultatem discretiuã
 siue maus segregatricẽ Galenum non præteris-
 se. sed tanq̃ spurij libri auctoritatem multi non
 admittent. quod si qui sunt, qui illam recipiunt,
 dicant cum Gentili: q̃ quia non requirit diuer-
sum instrumētum à quatuor enarratis: ob id ra-
 renter illius ab auctoribus fit mentio. q̃ si ali-
 quando fit: dilucidioris doctrine gratia fieri so-
 let. sed in his immorari nobis non licet: qui pro-
 fessi sumus, alienos labores non vsurpare: sed
 quę famosi dilucidatores præteriere iuxta Gale-
 ni decretum annotare. ante tamen q̃ ab hac dif-
 ficultate me expediam: annotare volo: q̃ Gale-
 nus cõmentario quarto de morbis acutis clare
 insinuauit, facultatem attractoriã nihil facere:
 ad hoc q̃ non ponatur facultas segregatrix. di-
 cit enim: venarũ facultas attractoria perpetuo
 vicinis ex partibus humiditatem attrahit: sub-
 stãtiam ipsius qualis nam sit nullo pacto discer-
 nens. ratione enim caret, qua quidpiam ex me-
 liori scrutari possit. hæc Galenus. quę clare vi-
 dẽtur Gale. innuere: facultatem attractricẽ nul-
 la vti discretionẽ. secũdum quod quis iudicabit

4. de
 mor. acutis

necessum esse, ponere facultatem segregatricē:
 sed non est, cur ista quēquā moueant. licet enim
 facultas attractoria nō tanq̄ ratione vtēs, discer-
 nat humores qualitatis: tamē cōuenientia quod
 melius est attrahit. vt dicit Galenus tertio de fa-
 cultatibus. secundū quod dicta manent perspi-
 cua. sed de ijs alias. porro ignorandum non est,
 quod Auicena docet: per transuersas fibras suā
 functionem obire facultatem retetricem. vide-
 bis etiam, eius expositores dicere: expultricem
 potentiam suo fungi officio per fibras, quę ten-
 dunt in latum. quod alienum est ab his, quę in
 multis partibus docet Galenus. nempe in libro
 tertio de facultatibus naturalibus dicit. quippe
 minimum momentum expultricem facultatem
 huc vel illuc impellit: vt quę per transuersas fi-
 bras functionem suam obeat. In hac auctorita-
 te claret: diuersum ab Auicena Galenum disse-
 rere. sed subscribendum est Galeno, qui etiam
 parte allegata solum ponit duo genera tra-
 ctionis. vnum quod fit qualitatis conuenientia:
 aliud quod fit successiōe eius quod euacuatur.
 in libro tamen quinto de simpliciu medicamen-
 torum facultatibus, à calido fieri attractionem
 profitetur. quod etiam docuit Auicena. qui di-
 xit: attractionem quę fit à calido, reduci ad illā

*flora
 mica*

*h 3 2
 fer ma
 160*

*duo
 attract
 nis gra*

que fit successione ad id quod vacuatur. quod
 si reducitur: solum est duplex attractionis genus,
 ut Galenus tertio de facultatibus docuit. circa
 illud autem quod diximus quod est unum attractio-
 nis genus: quod fit qualitatis convenientia. Est
 notandum, quod Galenus in multis locis voluit: hoc
 genus attractionis fieri ratione similitudinis sub-
 stantie, ut ex libro tertio et quinto de simplicium
 medicamentorum facultatibus facile potest colli-
 gi. dicuntur autem attrahens & attrahendum con-
 uenire in modo substantie: quia familiaritas que
 est inter attrahens & attractum ex totius substan-
 tie proprietate oritur. ut libro tertio de simpli-
 cium facultatibus Galenus dixit. nec aduersus
 hanc opinionem valet argumentum Auicene.
 qui quarta primi dicit: si ratione similitudinis
 substantie fieret attractio: ferrum attraheret fer-
 rum, & aurum attraheret aurum. hoc nihili est
 pendendum, cum iuxta ea que profitetur Galenus
 quarto libro citati operis: ferrum non dicitur si-
 mile ferro: nec aurum auro: sed ferrum dicitur
 idem ferro, & aurum auro. Verba Galeni haec
 sunt. differunt enim (mea quidem sententia) idem
 & simile. quippe pituita pituitae eadem est &
 cnicum cnico: similis autem pituitae cnicus, non
 tamen idem. Si haec exarata reliquit Galenus:

taxandus est Auicena, qui sic in medicorum lucernam fuit inuectus. & de suis expositoribus est admirandum: qui indecissum reliquere dictum Galeni. sed dicet aliquis: ratione identitatis substantię etiam posse fieri attractionem. cum videamus: quod si arundo viridis per medium scinditur, & medietas eius ponitur iuxta alteram medietatem: quod ambe coniungantur. est tamen notum: quod arundo arundini non est similis, sed eadem. qui dicta Galeni libello de substantia facultatum naturalium vellet sectari: facile se posset ab hac difficultate extricare. Siquidem Galenus ibi dicit: plantas habere in se principium motus & sensus. si namque plantę habet hoc principium: nulla nos potest capere admiratio, si videmus, medietatem arundinis viridis alterę se coniugari. quippe cum arundo viridis sensum habeat: per sentiscit noxam, quam intulit scissio, & sic mouet se ad alteram medietatem: illam amplexari & illi coniungi desiderans. quod secundum dicta Galeni recte potest facere: quia principium in se habet motus. cum autem arundo sicca est: non habet principium motus & sensus, & sic licet scindatur, & medietates iuxta ponantur: non coniunguntur. Secundum hæc dicemus, quod in plantis ubi magis viget motus & sensus: citius partes scissę moue

Enchiridion medicinae.

buntur ad se amplexandum. & q̄ in plantis quæ sunt hebetissimi sensus similem effectum nō cōspiciemus. hunc effectum in arundine & corilo perspicue videmus: quia acuti debēt esse sensus. in quercu autem & ilice nequaquā aspectamus: quia admodum obtuse debent sentire. Huic sententię Platonis & Galeni suffragatur id, quod multi viri celebres de agricultura scriptores memorię prodiderunt: esse scilicet aliquas stirpes formidantes ictum. si formidāt, sentiunt. astipulatur etiā huic doctriņę: q̄ de palma leontinus retulit. quippe qui dixit: palmas vehementi se prosequi amore: ita vt altera alteram depereat. adeo est veneris intellectus, nec prius stimulan- te desiderio cupiditatibusq; leuabitur: q̄ ipsam adamatus mas consoletur. secūdum hæc claret, in palma esse sensum. sed bene difficile creditu est, in plantis esse sensum. quę enim ex agricolis citauimus, non est cur multum nos moueant: cū multa posteritatis memorię mandarunt, quæ à vera philosophia deciscunt. Illud autem quod de complexu medietatum arundinum in mediū produximus: dicemus fieri ratione naturalis appetitus: qui in arundine vel corilo est. vt enim naturali appetitu vna planta amore prosequitur reliquam, vel odio afficit: sic debent esse ali-

quæ plantæ, quarum partes inter semultum naturali appetitu se amant. ratione huius appetitus dico, q̄ potest fieri: vt medietates arundinis vel surculi corili naturaliter appetant coniugari. omnia hæc fiunt dilucidatiora his, quæ dicit Galenus primo libro de sanita. ... da. vbi dicit: quo factum arbitror: vt natura non animalibus modo, verumetiam stirpibus quasdam vires deficientis ac desiderati ab initio statim dederit. si hic appetitus naturalis in arundine viridi est: quid mirum si eo mediante medietas arundinis appetens reliquæ medietati adherere illam attrahat. ossa namq; non habent sensum: appetitu tamen naturali cõueniens sibi aliciunt. sic medietas arundinis appetitu naturali alteram medietatem tanquã quid sibi conueniens ad se aduocat: quia longius viuet alteri iuncta, q̄ ab illa separata. obiter hic nota, q̄ Plato in thimeo videtur negare: q̄ fiat attractio ratione proprietatis. Sed iam tempus est, vt ad explicanda aliqua de facultate vitali descendamus. porro annotandum est: q̄ facultas vitalis ea est, quæ motu contractionis & dilatatiõis mouet cor & arctérias. aliquando hæc facultas, naturalis appellatur à Galeno: vt ex libro secundo de musculorũ motu facile colligit. qui dicit: actio quæ ex arctéria

Deo vmbis sub nati. no nu op
sub dial. de. De la rarisnis mch
Enchiridion medicinae.

am on
mho

& vena procedit: est naturalis. causa autem ob
quam naturalis dicatur est: quia voluntatis est
expers, & naturaliter fit, & proinde Galenus fa
ciens memoriam de omnibus facultatibus: hac
facultatem no semper exprimit: volens, sub na-
turali illam comprehendit. in libro enim de san
guinis missione dicit: dictum est, alias esse facul
tates naturales: alias esse animales. vbi vitalem
non expressit: complectens illam subnaturali. &
quia motus cordis non fit per membra volunta
ti obtemperantia: naturalis dicitur, vt colligitur
ex Galeno septimo de vlu partium. cum dicit:
cordis motus est a natura: thoracis vero ab ani
ma. nil aliud voluit, qua q cordis motus est na-
turalis: & thoracis animalis. nisi quis velit con-
tendere, eo dici, motum cordis fieri a natura, &
non ab anima: quia solum fiat a vegetante pote
tia, & non a sensitiva. fundamētum potest sume
re ex his, que dicit Galenus primo libro de fa-
cultatibus naturalibus. vbi actiones mere natu-
rales que etiam plantis sunt comunes, a natura
dicit fieri, que autem solis animalibus conueniunt,
dicit fieri ab anima. & sic has actiones diuidit. q
dicit: q que fiunt ab anima, no fiunt a natura, &
que fiunt a natura, non fiunt ab anima. si ergo
tam presse capit actionem ab anima factam: se-

o d
super
tu

ptimo de vsu partium, sicut primo de facultati-
 bus claret præcipue, motum cordis nequaquam fie-
 ri ab anima sensum habenti, nedum rationali. sed
 quia Galenus (vt supra diximus) ambiguus ni-
 mis fuit: in assignando substantiam anime, non
 est, cur hic immoremur indagantes, quid per na-
 turam vel animam voluerit intelligere. præstat
 solum dicere: quod cum in primo de facultati-
 bus dicit, aliquam actionem solum fieri à natu-
 ra, solum intelligit, de actionibus quæ fiunt in
 plantis. quæ siue à natura, siue ab anima vegeta-
 tiua dicas fieri: nil deerrabis. vt ibi dicit Gale-
 nus. in libro autem septimo de vsu partium, di-
 cens motum cordis fieri à natura, non vult doce-
 re: quod fiat à potentia quæ communis est etiam plan-
 tis, sed dicit fieri à natura: quia non fit à faculta-
 te parente voluntatis imperio. si enim à vegeta-
 te potentia fieret: hac fungerentur plantæ. quod
 est nimis absolum: cum nec omnibus animalibus
 sit impartita hæc facultas. vt colligitur ex his,
 quæ dicit Galenus libro quarto de presagatiõe
 expulsibus. licet non me fugiat, Conciliatorem
 insinuasse differentia quinquagesima sexta: hæc
 facultatem omnibus animalibus esse communem.
 sed plane aberrat à mente Galeni. quippe qui di-
 cit: facultatem vitalem nec in stirpibus nec in

p. de
 fa.

7^o vsu
 partium

vtilitas
 de ex.

Enchiridion medicinæ.

animalibus frigidis inuenies. & merito sane animalia frigida hac facultate non egent: cum non habeant calorem euentatione indigētem. in animalibus autem calidis (vt dicit Galenus) apertissimam videbis hanc facultatem, quæ à corde manare, in libro de pulsuum usu fuit professus. ex quo perspicue claret: quare quælibet arteria pulsat, & non vena, nam cum hæc facultas à corde ducat originem: illis cōmunicatur membris, quæ à corde propagantur. atq; cum omnes arteriæ ex corde habeant ortum: hanc facultatem à corde mutuātur, venæ autem cum ab illo non oriantur: hanc facultatem à corde nō accipiunt. omnia hæc sic profitetur Galenus sexto libro de decretis. vbi dicit: tunicę arteriarum vim illam qua distenduntur, & contrahuntur, à corde accipiunt. dicit etiam: si enim venæ originem à corde traherent: non te lateat, pulsum habituras fuisse. ex his quæ ex Galeni dogmatibus deprompsimus: elicitur, quantum cecutiāt Thomas de garuo & Hugo, assignātes causam, ob quam arteriæ quæ sunt in pede pulsan: & non venæ quæ sunt prope cor. qui si à Galeno vellent ediscere, perspicuā inuenissent causam, hæc scilicet, quam ex sexto de decretis in mediū produximus. Et si omnia hæc bene perpendisset

Drusianus: videret aperte, quantum fuerit alucinatus in opinione, quã de motu cordis & arteriarum bucinavit. Si enim à facultate nõ fieret hic motus, sed à caloris ebulicione, sequeretur, q̄ venę quę sunt in pectore, deberent distēdi, & contrahi: & non arterię quę sunt in pede. sed de huius viri opinione non plura, nam abũ de qui quęstiones ventilant, eam discutiũt. si autem motus pulsus fiat à duplici facultate vitali (vt Gentilis prima primi dicit) consideratione est dignũ. sed quia hæc facultas est superior vegetatiua, quę pure naturalis est: licet sit inferior arbitraria facultate, non est mirum, quod licet simplex sit, cõtrahat, & distendat. nõ enim hæc facultas tã naturaliter mouet: sicut forma ignis iuncta leuitati mouet ignem. sed hæc facultas tali vtitur temperatura & spiritibus: q̄ cõtrahere & distendere potest pro finis necessitate. quę quia non obtemperat voluntati imperanti, ob id dicitur naturaliter moueri & non libere. licet non me lateat: Galenum facultatem vitalem appellasse liberam libro primo de difficultate respirationis. cum dicit: opifices pulsus, & respirationis facultates partim quidem similiter, partim vero non ita habent. Quatenus enim cause effectiuę sunt, eatenus similiter habēt. quatenus

Enchiridion medicinae.

vero voluntati permissum est, arbitrium respiratorie facultatis: vitalis autem facultas nullum superiorem habet dominum: sed libera penitus existit. Hæc Galenus. quæ si bene contemplantur, per latum pilum non deuiant ab his quæ supra diximus. siquidem Galenus non ob aliud vocat in hac parte vitale facultatē liberam: nisi quia non est subdita voluntati, sed sua sponte mouetur ordinate nimis, nō parens volūtati. vt enim eos liberos appellamus homines: qui non tenentur aliorum imperio auscultare, seruos contra, qui coacti sunt aliorū imperio subscribere, ita appellatur à Galeno facultas vitalis libera: quia voluntati non tenetur obsequi. & pari ratione quatuor facultates naturales liberas posset vocitare. atq; circa dicta est notandum: q; facultas vitalis est, quæ pulsum efficit. vt dicit Gal. libro de vsu pulsuum. Ioannes tamē farnelius nescio ob quid, sexto libro de naturali parte, capi. vltimo audet cōtendere, vim pulsificam aliam esse à vitali. vellem ego, vt quæ ex Gale. citauimus perpēdisset. sed facultas animalis quæ omnium suprema est: ad se nos vocat: excitans iam, vt de ea aliqua promamus. porro facultas animalis dividitur in sensitiuam, & motiuam, sensitiuam autē duplex est: exterior, & interior. atq; exterior

*animalis
facultas*

in quinque secatur species: vtpote in sensum visus, & auditus, & gustus, olfactus, & tactus. sensitiue autem interioris tres sunt species: teste Galeno libro quarto de locis affectis. prout sensus interiores totidem sunt: nempe imaginatio, & cogitatio, & memoria. Auicena autem & omnes qui sue sunt factionis, quinque differentias sensitiue interioris promunt: vtpote sensum communem, & fantasiam, & cogitatiuam, & estimatiuam, & memoriam. locat autem hoc modo has facultates Auicena. quod sensum communem dicit habere propriam sedem in parte anteriori cerebri: & memoriã in parte posteriori. quia namque diuersas temperaturas exoptat hæ facultates: optime prouidit natura, vt in diuersis partibus locarentur. Hugo tamen senensis secundo theni. & Mattheus gradi capitulo de lethargo (magistri in cuius verba iurarunt non captantes auctoritatem) dixerunt: in eadem parte in qua locatur sensus communis, esse locatam memoriam. & ita asserunt, in parte anteriori cerebri esse memoriam, licet non negent, quod vegetatior est in parte posteriori. aduersus istos viros multa dixi in meo opusculo de secretis, & in hoc capi. infra aliqua dicam. Longe diuerse à dictis auctoribus sensit Ioannes manardus: qui sensum communem

Enchiridion medicinæ.

negat locari in prima parte cerebri, nedum memoria. in decimo nono enim libro suarum epistolarum, epistola tertia dixit. primus sensus non est in primis ventriculis: ut qui Galeno teste nulla polleant nobilitate, sed vel in medio, vel in postremo: ubi imaginatiois & memorię operationes perficiuntur. ego non video, cur Galenus abnuerit, in prioribus ventriculis cerebri sensum communem locari. quod ipse dissertauerit, medium ventriculum vel postremum nobiliores prioribus esse, non diffitemur: & superiori sermone Galeni auctoritatibus comprobauimus. ex hoc tamen non elicitur: illum voluisse, primum sensum non habere pro domicilio priores ventriculos. elicitur solum, quod facultates quę in medio vel postremo locantur ventriculo: sunt digniores. quod verum esse asserimus. nempe cogitativam esse nobiliorem sensu communi, nemo est qui ignoret. et sane ex Galeni dictis clare colligitur, illum hæc quę diximus voluisse: & non ea quę Manardus docet. in libro enim tertio de locis affectis dicit Galenus. animalis facultas principaliter est in postremo ventriculo cerebri. si principaliter est in postremo ventriculo cerebri vel in medio (nam ut supra diximus: nunc medium nunc postremum dicit esse potioem, & medium pro po

stremo, & postremum pro medio sepiissime capit.) minus principaliter in aliqua parte debet esse. et nulla est nisi anterior cerebri pars, in qua minus principaliter est locata facultas animalis, quia officium sensus cōmunis qui ibi residet, non tam dignum & nobile est: ut est officium cogitativę facultatis, quę residet in medio vel postremo ventriculo. Et si auctoritates librorū de decretis, & de usu partium, quas in quinto capitauimus cōtemplaris: videbis nil ab his dictis sensisse Galenum. a quo neq; per latum vnguem deuiavit Aecius. qui secundo sermone secunde partis capi. secundo edocuit: in anteriore parte cerebri facultatem animalē etiam locari. dicit enim proinde anteriore parte cerebri lesa imaginatio solum leditur. medio vero cerebri ventriculo leso, ratio peruertitur. posteriore autē circa occipitium parte lesa, perit memoria, & cum ipsa omnino etiam reliquę duę facultates. in hac Auctoritate expresse voluit Aecius, qđ facultas animalis totum cerebrum occupat: principalius tamen dicit vigere in parte posteriore cerebri. nam lesa posteriore parte, omnes facultates leduntur: lesa tamen anteriore nō omnes. præter has auctoritates ratio etiā dicit, sensum cōmunē in anteriore cerebri parte locari: quia

ab ea nerui sensuum exteriorum oriuntur. experientia etiam nostris dictis suffragatur. nempe si ledatur pars anterior cerebri: imaginatio leditur (vt dicit Aecius) q̄ si leditur, ibi residet. sub imaginatione namq; sensus cōmunis cōprehenditur ex Aristotelis & Galeni, & tandem ex græcorum omnium sententia. & si quæ Gale. secundo libro de motu musculorum expendimus. viderimus, q̄ ibi Gale. voluit, q̄ imaginatiua complectatur memoriam, & q̄ ambarum eadem sit sedes. dicit enim, pars animæ imaginatiua quæcūq; ea sit, recordari videtur. si itaq; insignes impressiones rerū in imaginationibus acceperit, conseruat perpetuo, atq; id quidem est memoria tenere. hæc Gale. quæ iam dicta manifestant. at qui in hanc non vult descendere sententiam: contendere poterit, q̄ Gale. de facultate quã reminiscitiuã vocant, & nō de memoria ibi sit locutus. sed sane hoc non videtur esse ad mentem Gale. atq; circa hæc est subnotandum: q̄ memoria duplex est, sensitua et intellectiua. intellectiua non requirit organum corporeum: propter quod defuncto homine non perijt. vt docti philosophi & theologo dicunt. Errat ergo Farnelius: qui sexto libro capi. decimo quarto dicit, mortuis nobis statim omniū rerum quas in vita

cognouimus, memoria deletur. sed de sensitua interiori haectenus. Sensitua exterior vt diximus, secatur in quinq; sensus: quorum operatio in organis sensuum non perfici, sed in cerebro dicit Manardus sexta epistola sexti libri. dimitto nunc, quę alijs in locis dixit Galenus. in libro tamen primo de simpthomatum causis oppositum profitetur. cum dicit: quippe cuiuscūq; sensus alteratio quę à sensibilibus infertur: in singulis instrumentis perficitur. & licet hoc ita se habeat, facile potest soluere obiectionem, ob quam diluendam prædicta dixit Manardus. scilicet q; si in cristalloide fit visio, non potest per obstructionem neruorum opticorum impedi-ri. licet enim non fateamur: q; visio perficitur in cerebro. dicemus, q; quia oculus sentit, per virtutē à cerebro per neruum ibi dilatam (vt parte citata dicit Galenus) ex eo euenit, vt obstructis neruis opticis visio impediatur. cæterū sensum gustus in radice linguę vigere, experientia testatur: quod Gentilis docuit. aduersus quem ego fui inuectus in meo philosophico libello: motus auctoritate quadam, quã deprauatã, ego legeram. nunc non tedet palinodiam recantare, ob succensendum experientię, quę veritatis est magistra. sensus autem gustus non in quali-

bet parte linguę viget, sed in extrema: vt secun-
do de partibus animalium Aristoteles dixit. sed
summã manum addere iam placet, quia multa
quę ad hanc materiam attinent, in meo libello
vernaculo dixi.

SECUNDVS

LIBER QVI DE REGVLIS

Communibus curationis inscribitur.

¶ PRIMVM CAPITVLVM DE

Ratione victus in morbis.



ANTVM INCESSABI-
liter ambulantes peragrauimus,
q̄ philosophorum syluas retro
dimisimus, nec non medicorum
topicaria: vbi mille reperies fra-
grantes flores, aromataq; reperies mille. esculẽ-
tam tamen arborem inuenies nullam: nam solũ
quę ad theoreticam spectabant hucusq; tractau-
mus, quę iocundos vibrant odores, esui tamen
non sunt conducentia. qui enim medicinam pra-
cticam exercent, delectantur theoretica, practicã

tamē magis amplexatur: hac pro cibis, illa pro floribus vtuntur. theoricorū enim hortos adonidis quidam vocant. De practica igitur ad quā omnes anhelāt, tempestiuum est aliqua dicere: quę vt omnibus titilat palatum, ita iocunde ab omnibus audietur. porro quia nostrū est institutum, de omnibus regulis curationis in hoc libro aliqua promere: nempe de humorum cōcoctione, & euacuatione, & venę sectione, a ratione victus qui egris debet exhiberi: auspicemur. Siquidē teste Cornelio celso in phemio quinti libri, si congruo victu eger poterit releuari, medicamentorum est reijciendus vsus: quippe quę tantum corpus labefactant, q̄ non nisi urgente necessitate sunt propinanda. Plato etiam dicit in thimeo, diligētia victus præcipue morbi sunt gubernandi. atq; cum tria sint, quę curationem indicant: ambiens scilicet aer, & affectio naturalis, & ea quę præter naturam est, prima omnium indicatio est, quę à virtute sumitur. vt Galenus nono libro methodi exarauit. solus etiam virtutis respectus est, qui de nutrimento indicationē præbet: vt vndecimo methodi monumentis literarum tradidit. si enim absq; victu vitam posset ducere eger, neuitquā esset cibādus. quod cum fieri nequeat, illum cibare cogimur: sic tamē est

faciendum, vt quantum possimus, caueamus nu-
 trimentis morbum augere. quod recte factitabi-
 mus, si quę citatis libris dicit Galenus cōmenda-
 mus: nec non alta mente reponimus, quę prima
 aphorismorum particula scriptitauit Hipocra-
 tes. et vt ex multis quę dissertat, aliqua referam:
 memorię est cōmendādum, q̄ dicit nono apho-
 rismo. q̄ cōijcere scilicet oportet, num eger ad
 vigorem vsq; morbi perdurare possit, cū victu
 quem pręcipis: nam si non potest, augere cibum
 conuenit. nam vt octauo aphorismo retulit: cū
 in vigore morbus est, tum victu tenuissimo vti
 oportet. ex quo conuincitur error Thessali, sa-
 tis notatus à Galeno. qui per diatriteū fame cru-
 ciabat egrotos: non cōsiderans, an vires egroti
 sufficere possint nec ne: postea coactus in vigo-
 re illos cibabat. in accessionibus autem à cibo
 abstinere oportet: vt in decimo aphorismo iu-
 bet Hipocrates. licet aliquando necessum sit, in
ipso accessionis principio cibare. vt colligitur
ex Galeno decimo methodi. An autem maior
 error comitatur in tenui victu, q̄ in paulo cras-
 siore, explicare dimisimus: sed abunde satis Ma-
 nardus, & Musa, & Leonhartus hoc contra re-
 centes explicarunt. porro ad congruam victus
 rationem exhibendam: cōsiderandum est, tem-

pus anni, & egrotantis ætas, & cōsuetudo. in his
 explicandis immorari non opere precium iudi-
 co: longe lateq; in aphorismorum primo libro,
 expositores hæc dilucidarunt. hoc tibi pro sco-
po principaliter est habendū: vt cibi quos egro-
tantibus paras, contrariam habeant morbis na-
turā. hoc insinuauit Hippocrates in aphorismo
 decimo sexto: cum dixit, victus humidus omni-
 bus febricitantibus confert. nec Hippocrates cū
 hæc dixit voluit, q̄ omnia cibaria humida om-
 nibus febre laborantibus cōueniant: tantū enim
 coctiōi possunt repugnare, q̄ licet humida sint,
 non conferant. solum ergo voluit: q̄ hi cibi qui
febricitantibus adhibentur, sint humidi. si enim
 diceret, omnes victus humidos febricitantibus
 conferre: valeret aliquid rationes Musæ: cum
 autem nō omnes humidos victus dicat, floci nō
 sunt faciēde. atq; cōsideratione dignū est: quod
 dixit, victus humidos febricitantibus conferre, &
 non frigidos. quia vt ex decimo methodi colli-
 gitur, magis licet in febribus humectare, q̄ infri-
 gidare. vel apud græcos latius sumitur vocabu-
 lum humiditas: q̄ apud latinos. quocirca etiam
 Aristoteles prima particula problematum pro-
 blemate vltimo: etiā humiditate curari febres
 expressit, & nō frigiditate. dicit enim: sunt autē

60
 66
 egritudines, hæ quidem ab igne, hæ vero ab hu-
 miditate. curatur autem egritudines, quæ quidē
 ab igne, ab humiditate. quæ vero ab humidita-
 te, igne. porro quia ptisana præter alias vtilita-
tes quas facit, humida est, ob id tantum laudata
fuit ab Hipocrate, & Galeno libris de ratione
victus in morbis acutis, inter cibaria quæ febrile
tibus cōferunt. neq; Aristoteles eius laudes sub-
ticuit, prima particula problematū, problema-
te trigesimo sexto. verum iam celebratus ptisa-
næ vsus recessit: quippe apud Hispanos illā pro-
pinari non vidi: neq; à medicis Italis multū cō-
mendatam video. nempe Ioannes manardus de
fensare nititur, eius vsū præsentī seculo nō es-
se laudādum. inter alias autem rationes quas po-
nit, præcipua est, quia neminem illam parantem
inuenit. addit etiam quia insuavis cibus est, ob
id iure merito in vsu nō haberi. hæc & plura in
secunda epistola quinti libri videbis. aboleuit
etiam à cōsuetudine ptisana ex auena facta: quā
Parisienses medici multum vsurpabāt: vt dicit
Conciliator differentia centesima sexagesima
nona, quod acriter mordet. sed in suum patrocini-
um poterāt aduocare Parisiani Alexandrum
tralianum: qui in libro secūdo, capitulo tertio,
cremonē auenæ propinat, sed præsens ætas quæ

homines delicatiores producit: delicatiora cibaria postulat. antea glandibus vescebantur homines: quis nunc tam robustus erit, ut tam crasso nutrimento victitare velit? porro posthabita ptisana, ad betam & lentem confugerunt medici Hispani. Sed qui Dioscoridem & Galenum legerit: parum betam & lentem probabit. Beta (inquit Dioscorides) noxij succi est. eamque ventriculū laminare dicit Paulus septuagesimo capitulo primi libri. De lente etiam dicit Galenus cōmentario primo de ratione victus in morbis acutis, lens siquidem & milium et fenum gręcū, tanquā medicamenta ob quosdam ventris morbos exhibentur: & non tanquā nutritiua cibaria. ex quibus auctoritatibus colligitur, quā male de beta & lente audiant isti celebres auctores. ijs tamen non obstantibus non eo infitias sepiissime licere decocto bete & lentis pro febrietium victu vti. Cum enim parum nutrire, & abluere alium exoptamus: cōmode huiuscemodi decoctum propinabis. Inquit enim Galenus tertio libro de simplicium medicamentorum facultatibus. licet beta & lenticula magnam adstringendi potentiam gustu referant: earum decoctum ventris soluendi vim obtinet. de lentibus etiam dixit Galenus libello de atenuate victus ratione,

q̄ etiam si succum crassum generant, non tamē
 omnino sunt aspernandę. cum ergo tibi est ani-
 mus incrassare, cōmode lente vti potes: angue
 tamē peius in morbo laterali est fugienda. licet
 eam Auicena commendat cum aceto coctam: q̄
 non faceret, si bene legeret quę Galenus cōmē-
 tario primo de ratione victus in morbis acutis
 dicit. inquit enim Gale. qui lenticulam ex aceto
 confectam pleurítico in ea morbi declinatione
 quę nil aliud q̄ coctorum expuitionem deside-
 raret, exhibuit: is non immerito languenti ipsi
 qui sequenti nocte suffocatus est, mortis oca-
 sionem dedisse est visus. immo lenticulā nemo qui
 mentis cōpos fuerit, dederit. Hęc Galenus, quę
 quā erronee interpretatus fuerit Auicena: iam
 diximus. atq; qui voluerit contendere, eius de-
 coctum congrue posse pleuriticis propinari:
 rationem potest accipere ex auctoritate tertij
 libri de simplicium medicamentorum facultati-
 bus. Siquidem si lenticula in pleuritide tantum
 reprobatur, est ob multā adstringendi vim quā
 habet: qua cum careat eius decoctum, dicit ali-
 quis, non est cur tātum improbetur. subiunget:
parū nutrit, & aluum probe diluit: neq; his esse
 contraria dicta Galeni primi libri de alimen-
 tum facultatibus tutabitur, vbi dicit Galenus,

coctum

decoctum nanciscitur facultatem, & naturam eius quod decoquitur. fateor (inquā) dicet hic: q̄ aliquam naturam nanciscitur, non tamen omnem. quippe ius lentium nitrosum est perinde vt lenticula ipsa: non tamen adstringens, q̄ si adstringit, non tantū quod pectori possit officere. & volendo probare q̄ in febribus non sit interdica beta, addet dictis, ex oleribus quę febre tertiana occupatis laudavit Galenus primo libro ad Glauconem: sunt attriplex, blitum, lapatium, & malua, & lactuca, & cucurbita. quę si coniectas, non multum formidabis betam: quippe quę quasi eadem naturam cum blito habet. & si olus queris, q̄ cuiuslibet qualitatis prauæ sit immune pro victu (inquā) febrietium: reperies nullam. sane si aliquod laudabile est, est lactuca. de ea tamen dixit Galenus octauo methodi: q̄ habet exiguum q̄ nutrit, non exiguum quod est inutile. Si hæc notamus, nõ est cur betam & lentem tantum repudiemus. atq; de omnibus oleribus & fructibus similia verba prodidit Galenus: quę si perpendimus, non acceptabimus dictum eorum, qui scribunt lactucam esse laudabile nutrimenti. neq; buglosam tanti faciemus in affectionibus cordis, vt Auicena comẽdauit. q̄ si in fructibus non exiguum est, quod est inu-

h iiii

*de
deri
69*

Enchiridion medicinæ.

tile (vt dixit Galenus) mirandum est de Alexandro traliano, qui primo libro capit. de frenesi; cerafa & mala perfica & duracina freniticis ad modum laudat. & quinto libro capi. de hectica poma multum hecticis cōmendat. Longe aliter de pomis sentit Zoar & Auerroes: qui scriptis mandarūt, à sua natura gignere ptifim. & de omnibus fructibus dixit Auicena, eos febrientibus officere. quę nollē vt tam preffe caperes, vt nulatenus febrientium voto velis subscribere: parum deterior cibus & potus si suavis sit, condonandus est. multi etiam sunt fructus, quorū natura est acrimoniam biliosorū humorum coercere, & appetentiā excitare: quę si febrientibus concedas nō deerrabis. Si refero autem omnium fructuum genera, & qui quibus morbis conferāt, & qui officiant: meum institutum transgrediar. illud præcipue annotandum est, quod dicit Galenus primo libro ad Glauconem capi. de febre tertiana: vt ex fructibus febrientes degustent, qui non sunt omnino difficiles concoqui. quod si vocabulum degustēt pensiculas, videbis quā parca manu eis fructus exhibeat: sed si degustare eos permittit, nō omnino negat. In libro etiā de cibus boni & mali succi, cerafa & mora & pepones & melopones languentibus tribuit: cum

ficcitati & calori succurrere habeat in animo.
 ex quo monemur, q̄ febrientibus sepiissime simi-
 les fructus possumus permittere. nūc in vsu est,
 poma assa tribuere febrientibus: sed Galenus li-
 bello de attenuante victus ratione, elixa cōmen-
 dat. ait enim minus nocere. Caterum inuestiga-
 re dignum est, an oua sint congruus febrientiū
 victus. sed hanc difficultatem breuiter enodat
 Galenus, qui primo ad Glauconem: febre exqui-
 sita occupatis vitellos concedit. quę si annota-
 set Conciliator in annexo differētię. c x. in sua
 canonica, non tantum bacillarent inuestigātes,
 an oua febrientibus possint permitti. porro qui-
 dam vitellos ouorum solos non audent exhibe-
 re, sed albis mixtos: dicentes q̄ ouorū albumen
 temperat vitelli calorem. ac si tanta polleret vi-
 tellus caliditate, q̄ magnopere esset formidāda.
 non attendunt isti, q̄ Galenus citata parte alba
 ouorum repudiat: quia difficile concoquūtur.
 quod etiā duodecimo methodi fecit. circa hęc
 tamē medicos notare velim: q̄ non oua quomo-
 docūq; parata laudat Galenus, sed forbilia. quę
 enim forbilia vel trementia non sunt cōcoctio-
 ni obstinate repugnant. vt dicit Paulus capite
 octuagesimo tertio primi libri. atq; si supinus
 vētriculus est, & fastidiens: denegāda sunt egro-

Enchiridion medicinae.

tantibus forbilia oua: quippe quæ teste Galeno
cōmentario primo de ratione victus, in morbis
acutis manifeste stomachū supinant. de ouis etiā
forbilibus dixit Celsus secūdo libro capi. vige-
fimo tertio, q̄ crassam gignunt pituitam. his igitur
in quorum ventriculis magna pituitæ crassæ
copia est: frequenter non exhibeātur. sed si edu-
cere in animo habes pituitam illam crassam: for-
san non moleste facies, si vitellū crudum sic la-
borāti porrexeris. teste enim Celso capite quin-
to quinti libri, vim purgatoriam habet crudus
vitellus. cæterū de carnibus dicere licet. porro
notandum est, q̄ suum pedes pro victu tertiana
exquisita laborantium laudat Galenus ad Glau-
conem primo. ex quo conuincitur error Brasa-
boli, qui decimo sexto aphorismo primi libri
dicit, in nullo victus genere ponūtur fructus &
suillæ carnes, cum contrariū ex dictis galeni per-
spicue eliciatur. nec cornelius celsus suillas car-
nes ex victuum genere qui febricitantibus per-
mittuntur exploderet: quippe qui secūdo libro
capitulo decimo octauo, inter domesticas qua-
drupedes suillam esse dicit leuissimā. & galenus
in libello de cibis boni & mali succi, eandē sen-
tentiam cōfirmat: cum dicit, ex pedestribus ani-
malibus suilla caro est optima. cū enim tum ro

buſtiora gignebantur corpora: fas erat carnes
craftioris nutrimenti & concoqui difficilioreſ,
q̄ hoc tempore egris exhibere. Ob id ego arbi-
tror ab antiquis tātum laudatam fuiſſe ſuillam
carnē: copioſe namq; nutrit, ſed difficile coqui
tur. at ea leuior erit vetriculo robuſto, q̄ arieti-
na imbecilli. admirari tamen ſubit: quod arieti-
na caro que nunc iure merito in tanto precio
eſt, tam parum ſit cōmēdata à Galeno cæteriſq;
priſcis auctoriſus. immo de arietina carne rare
ter ſit mentio: ſed de hedina ſepe. forſan græcię
paſcua aerisq; temperies non tantum arietes iu-
bant: vt hispanis herbe aerisq; temperamētum,
idcircoq; apud græcos vbi priſci medici ſcripſe-
runt, tam parum arietina caro eſt laudata. & vt
videatur q̄ de arietina carne non tam bene Ga-
lenus ſenſit, vt nos ſentimus: ex multis volo vnā
auctoritatem in mediū promere. in libello enim
de attenuante victus ratione, hæc verba prodi-
dit. ex terreſtribus animalibus hirci & arietes
& genus omne ouium ac caprarum non vnde-
quaq; laudabilis ſunt alimenti: ſolis autē hedis
innoxie vtare. Hæc Galenus. At apud hispanos
caro arietis iuuenis hedinę nō cedit. ex eo autē
nos probare poſſemus, apud Hispaniam melius
arietes degere quā apud cæteras nationes: quia

Enchiridion medicinae.

preciosiora & abundantiora vellera degentes
in Hispania producant, quam qui alia incolunt
pascua. de his dicta sufficiant: iam enim tempus
est, ut de victu qui sumitur ex volucribus ani-
malibus aliqua dicamus. Porro dicit Galenus
tertio libro de alimentorum facultatibus, quod ca-
ro perdicis & columbe & galli gallinacei et gal-
line est concoctu facilis. vulgo tamen dicitur,
perdices egris esse incomodas, utique aiunt con-
coctu esse difficiles. qui tamen ista dicunt, deer-
rant a mente Galeni. praeter ea enim quae in aucto-
ritate citata dicit, dicit etiam libello de attenua-
te victus ratione. perdices vero ac turtures neque
durissimas habent carnes, neque concoctu diffici-
les, neque prauo succo vitiosas. sed & ipsarum du-
rities si mortuae vno die asseruentur, facile vin-
citur, fiuntque friabiles omnino atque inculpatae.
Haec Galenus, ex quibus docemur, quod aere mace-
ratas perdices bene possumus egris propinare:
dum modo non multa sit facultatis concoctricis
imbecillitas. an autem frigidae sint temperaturae
vel calidae, inuestigari solet. Auicena autem vi-
detur insinuare capi. de cordis palpitatione, es-
se frigidas. quam sententiam multum commendat
Mattheus nono ad almansorem capi. de cordis
palpitatione, sed clarius poterat hanc sententiam

adiscere ex Auerroe, qui quinto suorum colle-
 ctaneorum capi. trigesimo secundo, expresse di-
 cit, perdices esse frigide nature. sed sane inherē-
 do ego dictis Galeni iam citatis indubie credo,
 perdices esse calidi temperamenti. si enim frigi-
 de essent temperature, non concoctu faciles es-
 sent. cibaria enim quæ frigida & sicca sunt, co-
 ctioni repugnant. ex eo etiā probatur, perdices
 in volucrum genere esse admodum calidæ natu-
 re: quia fallacissime sunt, & inter se pugnacissi-
 me. & vsq; adeo perdices sunt libidinosæ: q̄ di-
 cit Aristo. tertio libro de generatione animalium
 capi. primo, q̄ perdices femine audita maris vo-
ce implentur. olfacientes enim marem vel eius
 audiētes vocem, turgent ad coitum. sic generāt
 oua, quæ subuentanea dicuntur. hæc quia non tā
 perspicue interpretatus est Auicena quinto li-
 bro de animalibus, dederunt mihi anīam, vt in
 meo philosophico libello illū taxarem. sed iam
 dimissa perdicis inuestigatione, de auibus cæte-
 ris quæ egris permittunt, nōnulla dicamus. por-
 ro vsitator febrientium victus pulli gallinacei
 sunt: victus (inquā) est eorum quos parum nu-
 trire cupimus. quanto enim minus nutrire desi-
 derant medici: tanto minores pullos egrotanti-
 bus exhibent. aduersus tamen hanc consuetudi-

Siā. auerroem
 perdux. frig. nat.

edm.
 ga. a.
 nac.

de ce
 teris
 auibus

Enchiridion medicinæ.

nem est Galenus tertio libro de alimentorũ fa-
cultatibus. cum dicit: praua autẽ admodum est
caro valde nouellorum volucrum: sed diuerfa
ratione ac fenum. siquidẽ horum caro dura est:
 contra animalium nuperrime ęditorum corpo-
 ra mucosa sunt, ac humida, ac excrementis ple-
 na. ex hac auctoritate elucescit deprauatus vsus
 eorum, qui valde nouellos pullos febrientibus
 exhibent. si autem medici crassius nutrire insti-
 tuunt: pullastram vel gallinam propinant. q̄ si
 ęger ventris dolore torquetur: gallinę vētricu-
 lum (iuxta doctrinã Auiceneę) multum cõmen-
 dant. a nullo tamen ex priscis auctoribus ad hu-
 iuscemodi affectum hunc ventriculum laudatũ
 vidi. immo Aecius omnium volucrum ventricu-
los damnat sermone secundo primę partis, ca-
pitulo ducentesimo quinquagesimo quinto. cũ
dicit: ventriculi volucrum omnium ęgre coco-
quũtur propter substantię duritiam. falso enim
quidam laudãt ventrem struthocameli ac mer-
gi. hæc Aecius. ex quibus clare colligitur, ab an-
tiquis non laudatum fuisse ventriculũ gallinę,
sed struthocameli & mergi. sed generatim om-
nes volucrum ventriculos taxat Aecius. atq; no-
tandum est, circa victum qui ex carnibus sumi-
tur, q̄ nigri animalis caro calidior est, quã albi.

*caro
 animalis nigri calidior q̄
 albi*

quippe nigredo supra caliditatem atestatur: ut
 Aetius dicit sermone secundo prime partis capi.
octuagesimo octavo. Sed aduersus id videtur Ari-
 stoteles: qui libro quinto de generatiōe anima-
 lium capi. sexto dicit, calidiora & suauiora sunt
omnia alba. Sed iam de victu qui ex carnibus su-
 mitur, multa diximus: anteq̄ tamē vltimū adda-
 mus colophonem, notandum est. q̄ quia victus
 humidus febrientibus confert, quod caro que
 febricitatibus exhibetur, debet esse elixa & nō
 assa: nempe quia humidior est. ut dicit Galenus
 libro decimo de simplicium medicamentorum
 facultatibus. aliqui tamen cōtendunt humidio-
 rem esse assam. hęc discordia cōmuniter sic di-
 luitur: q̄ caro assa est humidior substantifice,
 quia magis nutrit. Aduersus hęc profitētes Cor-
 nelius cellus videtur esse: qui secundo libro ca-
 pitulo decimo octavo dicit, eadē res magis alit
 iurulenta q̄ assa: magis assa q̄ frixa. sed per rem
 iurulentam nō solam carnem intelligamus: sed
carnis succū qui est in iure cū carne ipsa. quod
 si exoptas ut caro ipsa cū iure magis humectet,
 olera humida cum carne simul decoque: & ma-
 gis humectabit. porro quia carnis succus facile
accenditur: non laudo eorum consuetudinem,
 qui febrientibus hūc succum per distillatione

69

caro

humidior

dior

elixa q̄

assa

caro magis

succus

facile

ut in febrientibus
 excludendus

Enchiridion medicinae:

extractum propinant. adde, q̄ præter hoc q̄ facile bilefcit, admodum horrendi est saporis. neq̄ qui hūc succū cum caro affatur, extrahūt: quid comodi faciunt. succus enim hic sanguineꝯ est nature: nōdum perfectam fuit in carne adeptus coctionē: ob quod ferme similes effectus in corpore facit quā sanguis. si enim succum carnis recenter affe aspectas: sanguinem aspectare censebis. nam qui hunc succum propinandum iubēt: non permittunt carnem multum affari. ad hæc etiam hic succus accendi est facilis, natuſq; ventriculum supinare: ob quod merito è numero victuum conferentium febrientibus est explo- dendum. de carnibus hucusq; cæterum pisces saxatiles numerantur à Galeno, inter cibaria quę febre detentis acuta conferunt: nūc pauci sunt, qui simili victu acute febrientes cibent. cōmentario autem primo de morbis acutis, Galenus pleuriticis eos exhibet paratos ex aqua & mar rubio & anetho & fale. sane si quis nunc hunc victum exhiberet, multi eum insanire putarent. sed nil in hoc edullio reperies, q̄ laterali morbo officiat. sed iam de lacte aliqua promamus: quod hecticis & tabidis præstantissimus est victus: præcipue muliebri tanquā nature nostre maxime accomodatum. vt dicit galenus libello

*de saxa
tilibꝯ
piscibꝯ*

*de lacte
muliebri*

de cibis boni & mali succi. de mente heriodoti
 & Heuriphonis, qui etiam dixerunt: hubera mo-
 re infantium abdita affectis suggenda esse. atque
 cum tanta copia non sit muliebris lactis: asinino
 lacte hecticos victitare medici iubent. quod quia
 pinguedinis habet minimum, non tam facile ut ca-
 prinum & ouillum accenditur. ex eo tamen eue-
 nit, ut facile in ventriculo coaguletur. ne igitur
 medici temere illud propinent: advertere animum
 debent his, que dicit Galenus libro tertio de ali-
 mentorum facultatibus. dicit enim, asininum ve-
ro lac pinguedinis habet minimum. quo circa non
 temere in ventriculo cuiusque coagulatur: si statim
 ut matris excidit calidum, fuerit epotum. quod si
 sal & mel adijciantur: fieri non potest, ut ipsum
 in ventriculo concrescat ac coaguletur. si hec an-
 notassent medici, indiscriminatum non mone-
 rent, ut hoc lac calidum ut matris excidit, hecti-
 ci biberent: nec hortarentur ipsos egrotos ut
 suggant asinina hubera. si enim non est timor, quod
 coaguletur: bene est, alias non. porro quia hoc
 lac plus serose substantie habet, quam reliqua la-
 ctis genera: ob id aluum magis deijcit. ut citata
 parte dicit Galenus. caue igitur, si de alui fluore
 times: illud hecticis propinare. tantum enim ven-
 trem potest deijcere: quod Hipocrates commentario

*De asini
no. 12.
ouu. g.*

Enchiridion medicinae.

tertio de ratione victus sat esse arbitratur, cau-
so affectis hoc lacte purgare. & vt ab hoc lacte
tunc te abstinere decet: ita ab omni genere lactis
esse abstinendum intelligas. quodlibet enim lac
serosę substantię particeps est: ob quod vėtris
est subductiuum. vt dicit citato loco Galenus.
quod si bene annotasset Leonhartus fuchsius
quinta particula aphorismorũ, aphorismo sex
agesimo quarto: non diceret, lac alui fluore si-
stere. & sane de hoc viro est miradum, qđ ad ful-
ciendam suam sententiam Galenum tertio alimē
torum in suum patrocinium aduocat: cum quę
diximus, profiteatur Galenus. nempe qđ galenus
dissertauerit, qđ lac cuius serosa pars est, consum
pta aluum astringat: non inficiamur. sed qđ vni-
uersaliter dixerit, lac alui fluorem compefcere:
negare tenemur. sed culpandus sum, qui in re tã
perspicua immoror. atq; serosam partem lactis
consumes iniectis lapillis: sed efficacius hoc fa-
cies ferreis orbiculis ignitis. vt Galenus ibidem
monet. admisce autem sic parato lacti mel vel
salem vel aquã: ne facile in ventriculo cogatur.
& tandem congrue facies, si cuilibet lacti mel
miscere moneas. audisti iam, quę de muliebri
diximus: audi nunc, quę de caprino dicit libel-
lo de cibis boni & mali succi. dicit enim, capri-

no. de
lacte

de lacte
caprino

num lac sine melle sumptum est admodum periculofum. Iam de lacte diximus. de amigdarum cremore iam aliqua dicamus: quem parum usitatum ab antiquis inuenio à neotericis sepe. vix egritudo est, vbi eum exhiberi non videas: precipue si alimento quod vires augeat, eget egrotus. fama namque tenet multum sufficere alimentum. sed à veritate deciscunt, qui hæc arbitrantur. octauo enim methodi (vt supra citauimus) dixit Galenus, in fructibus esse parum quod nutriat: non exiguum quod est inutile. Si hæc dicit Galenus: quid nutritibilissimum in amigdarum cremore medici inueniunt? sane simile hoc mihi videtur his, quæ de lactuca dicit vulgus: nutritissimum scilicet esse edulium: cum nil minus habeat. sed aduersus hanc fallam opinionem Galenus scripsit secundo libro de facultatibus alimentorum. certe si amigdarum cremor multum nutrire videtur, & ex eo euenit: quod cum non facile coficiatur, multum in ventriculo moratur, & sic qui illud ebiberunt, tarde famem incurrunt. præter dicta etiam cum tam oleosus sit hic cremor, non est cur acute febrientibus tam frequenter exhibeatur: quippe qui facile accendetur. dicit aliquis: ob id exhibent multis febrientibus, quia obstructions aperit. qui his quæ dicit Mattheus

capi. de obstructione iocinoris, fuerit addictus: facile hæc credet. quippe Mattheus innixus auctoritati Auicene contendit in omni iocinoris obstructiõe amigdalas dulces valere. sed si ipse legisset ea, quæ libro quinto de simplicium medicamentorum facultatibus dicit Galenus: non ad obstructiones aperiendas amigdalas laudaret. dicit enim, amigdalæ dulces in fartu nõ liberant. Si hæc dicit Galenus: cur in re tam perspicua se implicat? nec te arbitrari vellẽ: me amigdalorum cremorem omnino repudiare. licebit enim illum exhibere: cum egrotãti est admodũ gratus, & somnum volumus cõciliare. sua enim mulcebri humiditate mulcet acrimoniam acutorum vaporũ, qui insomnias faciũt, cerebrũq; admodũ exsiccatum humectabit. solum igitur a me intelligas hunc cremorem qui tam laudatus est, non esse nutrientissimum, nec concoctu facilem, vt medicorum vulgus opinatur. velim etiã te scire: nimio occupante somno illum propinare Alexandrum tralianum: quippe qui primo libro capit. vigesimo, lethargo occupatis illum exhibet. & vix apud antiquos nec in lethargo, neq; in alia egritudine illum vsitatum legi. nũc si qua est egritudo, vbi minus amigdalorum cremorem admitterent, est lethargus: quia semper

somnum conciliare arbitratur. sed poterit esse,
 q̄ calfaciendo & attenuendo humores pituito-
 fos, qui lethargum producant: somnum auerrū
 caret. Si hæc vera sunt, non sunt admittēda, quę
 dicit Mattheus capi. de lethargo. nec multi sunt *nota*
facienda, quę capi. de catarro & capite de tussi *mathis*
 dicit. vbi ait: in his affectionibus non esse exhi-
 bendum sero hūc cremorem, sed diluculo: quia
 vaporosus est. sed si vapores quos emittit, pos-
 sunt calfacere, & temperare, & tādē coquere
 cerebri humores: nullam noxam induceret. sed
 plus equo in his immoror: qui breuitati tātum *de*
 studere cupio. dicamus iam de auellanorū cre- *auella*
more: qui in nostra prouincia in magno vsu est *notae*
ad roborandum cerebrum, facultatesq; ibi assi- *more*
dētes. & a Mattheo capite de iecoris obstructio
 ne, sunt laudate ad aperiendas obstructiones
 auellane ipse. fallitur Mattheus: fallūtur etiam,
 qui auellanarum cremore vtūtur in capitis affe-
 ctionibus. q̄ fallatur Mattheus: ex eo probatur,
 q̄ Galenus primo libro de facultatibus alimen-
torum, difficulter cōcoqui nucem ponticā ait.
 & in libro de attenuante victus ratione dicit:
 nux ponticę nullam astergendi ex visceribus
 excrementa habent facultatem. si dure concoqui-
 tur nux pontica: & abstergēdi nullam habet fa-

Enchiridion medicinæ.

cultatem: quid utilitatis quæso obstructo iocinori faciet? ex his etiam quæ diximus, illos deerare conspicias: qui imbecillitatem cerebri hunc cremorem refarcire aiunt. si dure coquitur: succumque crassum gignit: unde habet, quod capiti tantum proficit? si dicunt, quod quia coriani semine est paratus, quod ob id tantum iubat. non legerunt quæ Dioscorides de coriano dicit: alias non tam frequenter illud propinarēt. nempe dicit Dioscorides: coriandrum largius sumptum mentē non sine periculo mouet: quare continuo & copiosiore usu abstinendum. si hæc dicit Dioscorides, cur ad sanandam mentē eo crebro utuntur? sed iam tempus est, ut ea quæ ad cibariorum rationem attinent, missa faciamus. si enim omnia percurrere vellemus: iustas enchiridij metas transgrediemur. De potu igitur aliqua dicamus. in quo si qua habetur intemperantia, periculosiorē esse: quā in esca dixit Celsus libro primo capitulo secundo. quod à ratione est alienum. ob quod credendum est, celsi textum esse deprauatum. porro egrotantibus prout est morbi natura, exhibentur potus. si magna infestat febris: aqua adhibetur cocta iniecto ordeo. quod si quis semen anisi iniecit, multi sunt medici qui suspiciose febrientibus propinant: arbitranter hanc

non posse humectare. hoc tamen est manifestū deliriū. non anisi vel cinamomi pauxillum vim humectatiuam ab aqua remouet, immo aqua ex cinamomo vel aniso, q̄ melius potest permeare, forsan magis humectabit: q̄ aqua pura quæ transire moratur. nempe mulsam aquosam (vt supra diximus) caulo laborantibus dat Hippocrates, quæ febrem parata est ascendere: & isti timent aquam ex cinamomo: sane nec Hippocrates tantū denegat febricitantibus vinum, vt nūc medici factitant: perspicue namq; videbis in cōmentarijs de ratione victus, q̄ frequenter febrientibus vinum exhibeat: quod etiam multis febre laborantibus Galenus octauo methodi non inhibuit. vbi dicit, Hippocrates nō in diarijs modo febribus, verum etiā in acutis vinum dabat. sed licet Galenus (vt iam dixi) vinum febrientibus permittit: non tamen tam audaciter vt Hippocrates. si quidem primo libro ad Glauconem, febre tertiana exquisita detentis vinum inhibet ante morbi cōcoctionem. sed si nullum vinum albū est calidū, vt duodecimo methodi visus est sentire: citra suspicionem hoc vinum febrientibus ante morbi coctionem potes permittere. Contendit tamen Leonhartus fuchsius secunda particula aphorismorū, aphorismo quadagesimo,

Enchiridion medicinae.

quod nullū vinum est frigide temperaturę hu-
manę naturę comparatum. ego licet credā vera
illum profiteri: cū dicit, q̄ nō omne vinū albū
est frigidum. credo tamen, aliquod esse vinum,
quod potius naturam nostram infrigidat, q̄ cal-
faciat. præter experientiam quam habemus de
vinis austerijs multum aquosis, probatur hoc
ex his, quæ dicit Galenus libello de cibis boni
& mali succi. cum dicit, quoddam esse genus vi-
ni: quod refrigerandi sensibilem habet vim. &
cū refrigerare dicit, corpora nostra intelligit,
non leonum vel elephantum. solet autem dubi-
tari, an vina sicce vel humide sint temperaturę.
multi multa inculcant: sed quę Manardus tertia
epistola decimi quarti libri dicit, solū promā.
dicit enim, facultatem siccandi habere vinum:
quod aqueum non est, vel prope aqueum. ego
licet teneam, vinum fuluum et maxime antiquū
vim siccandi habere: credo tamen maiorem vi-
norum partem humectandi habere facultatem:
non solum vino considerato quoad cibi ratio-
nem, sed quoad medicinę vsum. tertio enim de
causis pulsuum dixit Galenus, vinum calidū &
humidū esse: solidas etiam partes quę ex immo-
dico labore sunt exsiccate, humectare. dicit pri-
mo libro de sanitate tuenda, quas humectare,

*vinum
refrige-
rans*

*vinum fa-
cilitate
siccandi*

*ex 6^o
7^o 1^o 2^o
3^o de
causis pulsuum
vinum calidum &
humectare.*

non quia in sanguinem solum conuertatur: sed quia humectantis est facultatis, est credendum. si vinum etiam natura siccum esset, non mulceret acrimoniam flauæ bilis: vt ibi dicit Galenus, nec certe soporiferum esset. quæ enim calida & sicca sunt: potius insomnia, quam somnū inducunt. sic vina fulua antiqua quæ siccatis naturæ sunt, per vigilia non somnum faciunt. quod si vinum quod non est fuluum, ulcera siccant: facit quia ulcere siccius est. cum hoc tamen extat, q̄ sit humano corpore humidius: neq; cum vlcus multam humiditatē nō habet, vinum exsiccat: nec cuiq; curando vlceri prodest. quippe prout est vlceris natura, sic medicamēta profunt. quædam vlcera exsiccat thus: in quibusdam autem thus mouet (vt dicit Galenus tertio methodi) & sane si vinum calidum & humidum nō esset, naturæ sanguinis non esset tam familiare: potius esset bili amicū q̄ sanguini. Ceterū dictis subiungere non te tedeat, q̄ medici triplex esse potus genus describunt, vnum sitis sedatiuum, alterum cōmixtiuum, delatiuum tertium. In quinto autem continentis noluit Razes, aquam esse uehētium potum: quam sententiā laudauit Mattheus capi. de ventriculi imbecillitate. aduersus tamen hanc sententiā est Galenus quarto libro

20?

qd sunt
vinatria
potū
gna

de vſu partium. cum dicit, ex aqua nutriri nulla particula poteſt, diſtribui vero ex ventre quod nutritum eſt, non poterat, nifi deductum fuiſſet a quopiam ita liquido. in hac auctoritate claret Galenum non diffiteri, aquã deferendi potum eſſe. cui cum ratio ſubſcribat, non eſt, cur non acquieſcamus.

¶ CAPVT SECVN-
dum de Serapijs.



PRIMUM QVOD PER-
ſcripta ratione victus medicus intē-
dit, eſt, humores producentes mor-
bum cōcoquere. quod cum per ſera-
pia fiat: merito in hoc capite de cōcoctione tra-
ctantes, aliqua ſerapiorum fiet mentio. porro
Manardus decimo tertio libro ſuarum epiſtola-
rum, epiſtola prima cōtendit, antiquos ſerapijs
nō fuiſſe vſos. Braſabolus tamē vigefimo quar-
to aphoriſmo primi libri probare nitiſ, in vſu
apud antiquos ſerapia fuiſſe. ſane queſtio de aſi-
ni vmbra hæc eſt. nam ſi quodlibet decoctū ſe-
rapium tu vocas: ambigendum nō eſt, antiquos
ſerapia propinaſſe. in mille namq; locis videbis
oximelli & mulſa, in qua decoctum ſit origanū
tragoriganū & pulegium, vſum fuiſſe Galenū:

& huiusmodi decoctis multis, quæ sepe Alexander apozemata vocat, quæ sane ab antiquis fuisse vsurpata: credo Manardum non diffiteri. nec est, cur in hoc Brasabolus suppresso nomine illum taxet. subiungit dictis Brasabolus, quod serapia ab antiquis non propinabantur summo mane: sed exhibebatur in potu vini loco & pro cibarijs. si talis cibus exigebatur, quod antiqui non fuerint astricti propinare sua decocta summo mane: ego fateor, quod tamē loco potus vel cibi ea semper exhibuerint: non assero. non video namque qualiter melicratum in quo coctum sit origanum & pulegium & tragoriganum, exhibeatur ad mulcedam sitim, vel arcendam famem. siquidē siticulosum est: nec febrientium congruus victus. & sane tanquam medicamento utitur hoc decocto Galenus aphorismo penultimo primæ particule, & non tanquam cibo & potu: ut lector facile poterit videre. quod autē non solum diluculo possint propinari serapia: nemo est, qui contradicere possit: nam & ante cenam congrue possunt adhiberi. neque est necessum, quod sit vir viribus polleus ille: cui bis propinantur. ut dicit Gentilis quinto canone tractatu sexto. non enim tam excedentes habent qualitates serapia: ut formidandum sit, de noxa quam possunt inferre. & licet

Enchiridion medicinae.

consentaneū censeo, quod bis vel ter propinentur seruata oportunitate: non laudo, quod post cenam exhibeantur egris. vt cōmuniter fieri solet. nam si serapium est calidum, facit ante tempus descēdere cibaria, & immixtum cibarijs nō proprias qualitates seruat: sed ad naturam cibariorum alteratur. quibus immixtum non facile venas permeat, vbi sunt concoquēdi humores. si serapium est frigidum, ferme omnia hęc facit: & ad hęc facescit negotium calori concoquēti. Ex omnibus his elicatur, deerrasse Gentilē. qui prima tertij, tractatu primo, capit. vigesimo nono dicit: conueniens est ppinare serapia in affectionibus capitis, non solum summo mane: sed etiā sero præmissa cēna: quia validius tunc operantur: cum detineantur in parte superiori ventriculi. ob quod magis ad caput euaporant, q̄ si mane ieiuno ventriculo sumantur. hec dicit Gētilis: quę cōstat esse falsa rationibus iam enarratis. falsitas etiam suorum dictorum ex eo colligitur, quod si post cenam propinantur, vt facilius ad caput euaporēt: claret, quod cibaria ipsa tunc facile poterunt vapores emittere. qui sane pertingētes caput iuuabunt nil: immo vapores serapiorum mixti vaporibus cibariorū exuent propriam qualitātē: & astitiam induent. omnia

hæc nõ considerauit Mattheus gradi: qui nono ad almanforem capi. de dolore capitis sententiã Gentilis cõmendat, qui etiam taxat communem dosim: quę ex serapijs propinatur. dicit enim: licet vsu veniat, vncias quatuor & dimidiam propinare ex serapijs non laudo. decentius est propinare vncias decem serapiorum & liquorum stillatitiorum: ita vt sint quatuor vncię serapiorum & sex dictorum liquorũ. porro si quis est, qui magnam quantitatem serapiorũ desiderat, si alia non reluctãtur: adhibeatur moneo. habitata iam insinuata cõsideratione, q̃ potionis is sit modus, vt neq; in vētriculo innatet: nec fluctuationis vllum sensum inuehat (vt dixit Galenus septimo methodi.) tu autem qui practicam feliciter vis exercere: neq; dictum Matthei generaliter acceptes, neq; modum cõmunem vniuersaliter aprobes. si robustus est eger, ardentiq; febre laborat: exhibe magnam quantitatem serapiorum. timor est namq; q̃ pauca quantitas ab ascititio calore vincetur, & illũ augebit: vt pauca aqua solet in his qui febre ardenti sunt occupati. si autẽ febris sit mitior et eger imbecillior: non tantam quãtitatem exoptat. considera etiã loca, vbi sunt concoquendi humores: si longe à vētriculo vel prope. Aduerte insuper naturam

Enchiridion medicinæ.

serapiorū: ex his enim quę ex qualitatibus sunt mitioribus, maiorem quantitatem est fas propinare. perpende perinde qualis sit egrotantis vētriculi natura: si ad vomitū est parata, vel si minime serapia fastidit. ijs cōsideratis congruam methodum exhibendorum serapiorū inuenies. Circa hæc tamen est considerandum, q̄ multa sunt serapia, quę alere possunt: quę si in multa quātitate adhibētur, ijs qui exquisitissime sunt cibandi officient multum. præcipue si non seruata oportunitate propinantur: vtiq; si in statu. hoc multi non aduertunt, sed receptum morem seruant: diluculo exhibentes serapia siue accessionē expectet eger, siue in statu sit morbi acutissimi. quod si peripneumonia vel pleuritide laboret egrotus: in principio vbi tenuissimum vitum dare cogimur, serapia non diluta incessanter præbent: ita q̄ si libram vel sexquilibram in die vult assumere, non reprobant. si aquam mulsam in tanta quātitate in illo tempore multum formidat Galenus: cur libras duas serapij glicirizę non formidaret? quid enim est in serapio glicirizę, quod nō tantū nutriat quantū mulla. attendere etiam illos vellim: q̄ hæc serapia quę sunt nimis dulcia, sitim multum adaugent. & q̄ vrgente siti abstinendum ab oximelite multo,

iubet Hipocrates cōmentario primo de ratione victus in morbis acutis. qui non minus iuberet abstinere à serapijs nimis dulcibus, quæ non minus sunt siticulosa. & vt quæ diximus magis elucescant: volui in mediū promere, quæ in eodem cōmentario parum supra dicit Galenus. dicit enim, sed ledi quoq; asserit Hipocrates, si prius vt supponitur, q̄ vacuati sint, pleuritici vinum sumpserint, aquā itē mulsam, & oximelli. hæc Galenus. ex quibus elicitur, quod quando non sunt plene vacuati nempe in secūdo die: nō debemus tantam quantitātē serapiorum tribuere, vt nimis grauare egrotum possint. etenim si aquā mulsam in pauca quantitate timet, qui nulum præbet præter illam cibariū: timeamus nos, qui præter serapia alimenta damus, propinare magnam quantitatem serapiorum. Vltèrius cōsiderandum est, quod in ardentibus febribus reuenda sunt serapia dulcia: præcipue si nō sunt bene diluta, quia facile in bilem trāseunt. vt colligitur ex his, quæ dicit Galenus vndecimo methodi. quod si nimis diluta sunt, non est tantus timor. mulsam enim multū aquosam audet exhibere Hipocrates cōmentario tertio de morbis acutis causo laborantibus. cum etiā serapia acetosa dulcibus miscentur, tutius in biliosis febr-

Enchiridion medicinæ.

bus propinantur. Octauo enim methodi dixit Galenus, oximel non accēdere febrem. tantum enim quosdam serapia dulcia in febribus formidare, quod licet frigida sint, dare recusant. vt apud illum arabem Zoar videre potes: qui capitulo de curatiōe variolarum, execratur serapiū violaceum: dicens ob suam dulcedinem facile verti in bilem. atq; si multum diluitur, propulsandus esset timor. hi tamen liquores stillatitij non ab omnibus probantur. nempe Manardus decimo quinto libro suarum epistolarum, epistola vltima, modum quo hi liquores eliciūtur, damnat: sed in duplici vase esse eliciendos monet. ego à Manardo non dissentio in hoc quod dicit, succum aqueum extractum ex herbis non habere eandem vim, quam ipsę herbe habent. cum præter rationes quas ipse ponit: videam feniculum viridem ventriculum non humectare, cum ab eo extractus liquor humectet. & licet herbe sint calidę, & siccę: pauci ex his liquoribus sunt, qui si soli propinantur non humectēt. nec mirum, cum enim ex diuersis partibus componatur herba: solum ex partibus ad naturam aqueam magis vergentibus vidētur extrahi hi aquei liquores. ob quod nunquã ego ad roborandum ventriculum his liquoribus vtor, nec

serapia quę ad ventriculi roborationem exhibetur, his liquoribus diluo. expertus sum, aquã elicita ex feniculo, & borragine, & ex fumaria, & ex herba quam officinę vocant buglosam, et ex scabiosa, ventriculum meum humectare: nec sic calfacere, vt herbe ex quibus extrahitur. Notare etiam medicos decet: q̄ multę sunt herbe, quę virides parum laudantur ad extirpationem alicuius egritudinis, sicce autẽ magnopere. nempe menta viridis parum ventriculum corroborat, sicca autem multum: & id genus sunt herbe multę. Si hoc ita se habet: liquido patet, quod liquor extractus ex menta emulabitur vires mente viridis, & non sicce: cum ex viridi fit elicitus. Medici tamen ad corroborationem ventriculi illud propinant, ac si easdem quas menta sicca, vires haberet. sed de his sufficiat ista. Porro considerandum est, q̄ inualuit consuetudo, serapia semper tepida propinare. iam nunc receptũ est, estate propinare frigida, hyeme tepida. sed q̄ nullo tempore sint exhibenda tepida, Galenus profitetur octauo methodi. cum dicit, omnia tepida ventriculi firmitudinem exoluunt. propinentur ergo calida, cum necessitas exigit: non enim semper hyeme sunt adhibenda calida & estate frigida. si enim febris ardens hominẽ hye

me vexat: quæ frigida tunc tribuantur, quis diffi-
tebitur? si autem quis dolore ventriculi à frigi-
da causa pendente laboret: quis æstate serapia
non calefaciet? atqui vt manifestetur illorū er-
ror, qui æstate serapia calefaciūt: volo in mediū
promere, quæ dicit Hipocrates cōmentario pri-
mo de morbis acutis. dicit enim loquens de do-
lore pleuritico. vbi autem dolor aliquis vexa-
uerit, oximelli bibendum dabis, hyeme calidū,
æstate frigidum. si in pleuritide vbi tantum fri-
gida nocent, oximelli frigidum propinat Hipo-
crates: cur isti non verentur, in febre ardenti se-
rapia calefacta tribuere? Ex his etiam quæ Hipo-
crates & Galenus ibi dicunt, conuincitur error
eorum, qui non audent in æstate aquam frigidā,
sed tepidam vel calefactā donare pleuritide ca-
ptis. audet Galenus tantam frigide portionē his
adhibere, quantum frigide aque eger inspiran-
do haurire potest: & hi aquam frigidam medi-
cinis pectoralibus coctam non audent? cum si te-
pida vel calida propinatur, potius sicim adau-
geat, quàm sedet. Ex his elucescit error Gentilis, qui
quinto canone dicit, serapia sunt exhibenda
cum aqua calida: vt melius possint permeare, &
citius reducātur ad actum. ac si cum quis febrit,
calorem facile non possit recipere: nec in eis est

tanta renitentia, vt facile à calore nō possint re-
 duci. nec est necessum, assumptis serapijs dormi-
 re: vt calor reddatur vegetior ad ea reducēda
 ad actum, vt in eadem parte monet Gentilis. di-
 cit enim, cōmuniter præcipitur acceptis serapijs
 dormire: quia serapia sunt propinqua nature ci-
 bariorum, ratione cuius egent aliqua coctione
 vt operentur. omnia hæc nō sunt hocifaciēda.
 tum quia dicit serapia esse propinqua nature ci-
 bariorum, cum multa serapia ex cibariorū sint
 natura: tum etiam quia cibaria concoctu diffici-
 liora edit egrotans in die, nec ad ea concoquen-
 da somnus requiritur. Cæterum de humorū cō-
 coctione quæ per serapia fit, præstat iam aliqua
 dicere. siquidem si de serapijs in medium aliqua
 prōpsimus: quia humores cōcoquere sunt apta
 fecimus. sed quia multi ex neothericis abunde
 hoc tractant, ipse pauca dicam. porro cōcoctio
 est alteratio, quæ à genuino corporis calore fit.
 ea autem est duplex. vna eorum quæ secundum
 naturam se habent: vt est concoctio, qua in ven-
 triculo cōmutatur cibi. altera est cōcoctio quæ
 fit in materia: quæ nō prorsus est benigna & ani-
 manti familiaris. quæ quia ab innato calore fit,
 naturalis potest dici. quia tamē calor naturalis
 non plane vincit, nec materia prorsus benigna

Enchiridion medicinæ.

est, partim præter naturã hæc concoctio est, nulla harum concoctionum à serapijs fit: vt multi fuerunt arbitrati: dicentes concoctionẽ esse humoris tenuis increffationem, & crassi attenuationem. qui etiam dixerũt, humores tenues per serapia increffantia concoqui, & crassos per serapia attenuãtia. Omnia hæc à veritate deerrãt: tenuitas namq; humoris humorum euacuatiõni minime reluctatur. atq; concoctio omnis (vt dixi) à natiuo fit calore: quam serapia calida iuuare possunt. non q; ipsa ex se habeant vim concoquendi, sed quia possunt roborare calorem concoquentem. serapia autem frigida minus cõcoquere dicentur: alterant tamen humores, & eorum malignas qualitates mulcent: vt facilius à calore natiuo vincantur. etenim serapium de intubo & de violis temperãt acrimoniam & excedẽtem calorem bilis flauę: quod in causa est, vt à calore natiuo melius vincatur. non tamen flaua bilis à serapio de intubo vel violaceo concoquitur, alteratur enim solum: vt concoctiõni melius subdatur. q; si illam alterationem concoctiõnem vis appellare, improprie dices: nullum est tamen inconueniens. atq; annotatione dignũ est, q; tenues humores sine hac præuia alteratiõne iubet euacuare Galenus: libello quos purga

re cōueniat. Cui sententię subscribit Aetius sermone tertio primę partis, capi. vigesimo tertio. quę non considerauit Leonhartus fuchsius prima sectione aphorismorum aphorismo vigesimo secundo. vbi dicit: cum bilis est multū aeris aut excandescit aut exurit, non est prius euacuāda q̄ alteretur, vt melius vincatur à natura: licet per hanc alterationem & per concoctionē quę fit à natiuo calore bilis plus crassescat. Hęc deerrant sane ab auctoritatibus enarratis: siquidē Galenus & Aetius vbi tenuitas est humoris, nil aliud expectant. sed iam speciatim de aliquibus serapijs nōnulla volo promere: vt huic capiti. vltimū addamus colophonem. serapia nāq; quibus medici nunc vtuntur, plura sunt, q̄ decocta quibus vtebantur antiqui. & quia sacharum inuenire nobis fuit concessum, maioribus nequaquā, delicatiora nunc parantur serapia, q̄ antiquitus apozemata. quod si (vt Galenus dicit decimo quarto methodi) multa sua etate erant inuenta, quę ab antiquis non fuerunt cognita: nō est mirandum, multa hodiē esse inuenta, quę Galeni tempore erant abscondita, vel non erāt vsitata. absconditum fuit illi sacharum, ex quo tot serapia cōficiuntur: etenim plus quā triginta serapia ex sacharo reperies in ornata officina:

Enchiridion medicinæ.

quorum nullum fuit vſitatum à Galeno. atq; de paucis aliqua iam dicamus, vt clarius dicenda percipiãtur. à ſerapio roſaceo auſpicoꝝ: quippe quod eſt vſitatiffimum. porro triplex ex roſis ſerapium conficiunt ſeplafearij: ex ſucco roſarum, & ex infuſione roſarum viridium, & ex infuſione roſarum ſiccarum. primũ dicunt eſſe ſolutiuum, quia dicũt ſuccũ roſarum habere vim ſolutiuam. Hoc à Meſue didicerunt, qui capitu. de roſa dicit ſuccum roſe eſſe calidum & ſolutiuum. ego diuerſum docere Galenum video. in libro enim ſecundo de ſimplicium medicamentorum facultatibus dicit: oleum roſarum eandẽ habere vim, q̄ ſuccus roſarum: ſed oleum roſaceum frigidum eſt. in tertio etiam libro eiufdẽ voluminis, ſuccum roſarum numerat inter frigida: ex his ſequitur, apud illum eſſe frigidũ & non calidũ. in decimo autem methodi, inter medicinas adſtringentes numerat ſuccum roſarũ: quod etiã facit quarto methodi. quod ſi fic eſt: claret, Galenum noluiſſe ſuccum roſarum eſſe ſolutiuũ. exprimeret namq; hoc Dioſcorides, et Galenus vt reliqua. ſi ergo his aſſentire volumus: dicamus, quod ſi aliquando ſoluit, compri-mendo illud facit & non attrahendo. neq; dictis reluctãtur, quæ dicit Galenus ſexto libro de me

dicamētorum facultatibus. cum dicit, rosarum facultas composita est ex aquea substantia calida mixta duabus qualitatibus, adstringenti videlicet & amarę: cum non totus succus rosę est illa aquea substantia, in qua est facultas calida. in ipso enim succo est pars adstringēs, & aquea, & vincit pars adstringens quę frigida est partē aqueā. hoc mordicus tenuit Aetius: qui primo capi. primi libri medicinis frigidis accenset succum rosarum. & sane si succus rosarum calidus esset, non liceret serapium ex infusione rosarū viridium adhibere ad extinguendas febres. atq; dictum est iam de sirupo rosaceo, de violaceo nunc dicere licet. hoc vt multum pectori amicū est, ita vētriculo est inimicum: cum enim remolitiuū sit, ventriculi robur exoluit. q̄ si narcoticum esset, vt visus est sentire Mesuę capi. de viola, magis ventriculo negotium facefferet. nō tamen tāta pollet viola frigiditate, nec ex ea confectum serapium, vt proprie narcotica dici mereantur. neq; ipse Mesuę cum violam narcoticā esse dixit, stupefactiuam intelligit. aliter namq; multi ex arabibus vsurpant hoc vocabulū narcoticum, q̄ græci: sicut græci non tam pressę capiunt vocabulum anodinum, sicut arabes. per narcoticam medicinam multoties arabes intel-

Enchiridion medicinae.

ligunt medicinā doloris sedatiuā vel repulsiuā; testis est horū quę propalor Zoar primo theirsir tractatu decimo quinto capi. secūdo. qui tradens modum curatiuum abcessus ventriculi, dicit: vena iecoraria est secanda, & vtendū est narcoticis, scilicet stipticis frigidis in principio cū paucis resolutiuis. & narcotica conuenientia in hac egritudine sunt, sicut citonia & pira. narcotica simul & resolutiua sunt, sicut zucarū rosatum. hęc dicit Zoar: quę clare monstrant, non illum per medicinā narcoticam stupefactiuā intelligere, sed reprimentem. Eo modo intelligere arbitror Mesue, cum dixit violam esse narcoticam. Si omnia hęc consideraret Manardus, nō tam acriter in Mesuem inueheretur. dixi etiam: quod vocabulum anodinum aliter capitur à mauritanis, quā à græcis. quod ex hoc probatur, quia mauritani solum medicinam anodinam vocant, quę temperato calore dolorem mulcet: græci autē latius hoc vocabulum vsurpantes, etiam medicinam stupefactiuam anodinam vocāt. Horum quę diximus dat fidē Galenus: qui duodecimo methodi, medicamen ex papaueris succo vel alteri femine vel mandragorę radice concinatū vocat anodinum. In sexta etiam sectione aphorismorum aphorismo trigesimo primo, medica

men ex cerusa anodinum appellat. apud arabes tamen nunquam scriptum reperies: quod medicine que stupefaciendo dolorem sedant, dicantur anodine. Et forsitan Mesue videns apud grecos medicinas stupefactiuas dici anodinas: vocabulorum conuenientia violam esse stupefactiuam dixit, cum anodinam scribere erat melius, si per anodinam medicinam doloris sedatiuam intelligeret. post hec vsitatissimum est serapium de endeuia, quod duplex est: simplex, & compositum. nec compositi vna sola est descriptio. aliqui enim tot medicinis stipticis illud concinant, quod nisi de alui fluore esset timor: absolum ego censerem, ad extinguendas febres que euacuationem desiderant, illud propinare: in his tamen vt plurimum adhibetur. sunt tamen huius serapii descriptiones, in quibus tot medicinas stipticas non reperias. non tamen illis deest vtraque santalus, & spodium, & acetum, quae certe iecur non humectant: & in calida & ficca iecoris affectione propinatur. si autem Manardo fidem adhibemus, qui dixit santalos esse calidae naturae: non tam infrigidatiuum est hoc serapium, vt arbitrati fuere qui illud commendatum nobis reliquerunt. atque si santalus esset asphaltus, vt Manardus visus est sentire, non solum santalus frigidae non esset naturae;

sed immodice calfaceret. cū Galenus tertio methodi inter medicinas immodice calfaciētes numeret asphaltum. quod considerasse velim Manardum: vt non dubitaret, santalum non esse asphaltum. indicia enim quæ dat Manardus, vt santalus sit calidę temperaturę: potius sunt note remissi caloris, q̄ immodici. de oximellite & serapio acetoso tempestiuum est aliqua dicere: quę (si Galenū audis quarto de sanitate tuēda) non sub vna quapiam mensura aceti sunt confi cienda: sicuti non omnes acetoso sapore eque delectantur. sed quia solo oximelli essent refer te officinę: si tam varie esset cōcinandum, & in varijs vasis reponēdum, tot modos non quęras. & cum vides ob acetositate egro nimis displi cere: immisce illi aliquod serapium dulce: quale violaceum est, vel de capillis veneris. neq; atten das, q̄ quidam medici non vulgaris fame dicūt: nullum serapium esse miscendum cum serapio acetoso: quia sicut serapium acetosum corrūpit aquam ordeī, ita corrumpit omnia serapia qui bus commiscetur. non admiraris hominum sapientiam? sane ego tātum abest, vt sua dicta probem, q̄ nō vereor, cōtra suum prothomagistrū Auicenam tenere: q̄ congrua est miscella ex serapio acetoso & aqua ordeī. video namq; Gale

num quarto de sanitate tuenda, non formidare miscere acetum cum ptisana. idem facit primo de alimentorum facultatibus. sed si acetum non corrumpit ptisanam: quis timor est, ut aqua ordei corrumpat? si ex eo quod acorem à serapio acetoso aqua ordei accipit, corrumpi illam dicis: aperte falleris. nam cum ambas medicinas solas miscemus & propinamus: acetositatem querimus non dulcedinem. & certe si hoc tu times, nullis serapijs & stillatitijs liquoribus serapium acetosum potes miscere. porro quod ptisana quae laudatissimum edulium est, si nimium acorem acquirit, desinat esse delicatissimum cibarium, fateor. sed in serapio acetoso mixto aquae ordei quod solum ut medicina propinatur, non querimus delicatum & gratum saporem. quid ergo dicit Auicena? sane si quod de aqua ordei dicit, de ptisana diceret: aliqua venia erat dignus. quippe si accida fit ptisana, desinit esse laudabile edulium: ut colligitur ex Galeno quarto de simplicium medicamentorum facultatibus. ubi dicit: citius acescere ptisanam tempore aestiuo quam hyeme. & credibile est, quod si facile fit accida, si non recte paratur, vel quia tempus est nimis calidum: quod si acetum habet, facilius fiet. Consideratione etiam est dignum, quod Auicena non

Enchiridion medicinæ.

seruauit legem quam condidit. capi enim de frenesi & multis alijs locis miscet serapium acetosum cum ptisana. vbi dicunt sui expositores: si ratione frigiditatis ventriculi nõ timetur quod fiat accida, bene potest propinari. ac si tam frigida & ventriculo inimica esset aqua ordeï, q̄ potius de ea timeretur q̄ de omnibus aquis frigidis elicitis per distillationem. Atq; notandum est, q̄ Auicena etiam timet propinare aquã ordeï, si alius sicca est: ac si ordeï aqua multũ ventrem cõstiparet, cum nec ptisana adstringat, teste Hipocrate cõmẽtario primo de morbis acutis. q̄ si iubet, q̄ intestinis oneratis nõ propinetur: non est, quia timet illã adstringere, sed quia (vt Galenus exponit) in laterali dolore de quo sermonem agit, magna fit offensa: si plenis intestinis edulium aliquod adhibetur. & vt ptisanã tunc timet propinare pleuriticis, ferme omnia cibaria formidabit. quia pauca cibaria sunt, quę si scybalis plenis intestinis dentur: lateri non facessant negotiũ. cum enim pertransire nequeãt, comprimant anhelitus membra: ex quo magno pere offendent. proxime enarrata serapia sequitur oxizacara vel oxifachar. hoc multum valet ad extinguendas febres, & ad repellendã bilem quę ad ventriculũ ruit. putredini etiam magno

pere aduersatur. nec ob hoc quod habet acetū, in omni humorum destillatiōe vel catharro est negandum. corrigendo namq; ascitium calorē humorum fluentium, admodum potest iubare. propter quod taxandus est Sabanarola, qui capitulo de dolore renum ait, admodum hoc serapium officere: cū ex cerebro fluitat humor. sed tacere illi pręstaret. nō timet Galenus oximelli vbi maior quantitas est aceti in similibus affectionibus: timet hic oxizacaram? sed si similes errores stirpare curo, hoc solum capitulum iustam totius operis excedet mensurā. Ad serapiū de absintio me conuerto. circa quod discertantes pharmacopolas video, an ex viridi absintio sit concinandum, vel ex ficco. sane in hoc serapio & multis alijs medicinis est considerandū, quod de oximelli dixit Galenus. q̄ varie est cōficiendum, prout varię sunt egrotātium nature & varię egritudines. si enim solum vētriculum cū serapio absintij roborare, & remolitas eius partes astringere curas: melius est, vt solum ex absintio ficco concinetur. q̄ si cum eo bilem vacuare tibi est animus, ex succo illud cōfice. hoc tamen imbecilli ventriculo non est nimis accommodum. Siquidem teste Dioscoride succus absintij stomachum male habet, & capitis inducit

Enchiridion medicinae.

dolores. si vis autē cum serapio absintij obstructiones aperire, fac folia viridia coqui: extrahitur namq; per coctionem pars aperitiua. omnia hęc considera: quæ ad multa alia serapia annotasse iubauit. de serapio de menta quod proximum huic est, nil habeo quod dicam, nisi q; magis videtur valere in morbo calido q̄ frigido: licet omnes oppositum doceāt. quia tamē in hoc serapio magna quantitas ingreditur succi malorum punicorum acetosorum, annotare volo: q; Razes quinta particula suorum aphorismorū dicit. q; mala punica accida nō solum officiunt ventriculo mala qualitate, sed etiam mala proprietate. quod si sic est, videtur incongrue cum eo confici serapium de menta: quod ad roborā dum ventriculum propinatur. sed non nos terreat Razes: nam dioscorides cui maior est adhibenda fides, oppositum docet. cum dicit: capit. de malo punico omne malum punicū boni succi est stomacho vtile. Si omnia hęc cōsideraret Mattheus capi. de obstructione iocinoris, non sic addictus esset dictis Raze. considera tu hęc omnia pro oxizacara & pro omnibus serapijs, quę ex succo malorum punicorū conficiuntur. iam serapium de adianto & de gliciriza me vocant. in quibus nil explicatu dignum habeo: nisi

ꝓ serapiũ de adianto vrinã ciet, & aluum astringit: quia adiantum teste Dioscoride ventrẽ siccat: licet non me lateat, contrarium docere Me suem. forte siccat locium ciendo. ꝓ si compescit facultate adstringente, non ob hoc pectoris lenitioni obest. nempe facultas adstrictoria pauca est, & aleniente vincitur. roborando autem membra pectoris hæc adstrictoria facultas admodum illi iuuat. ob quod bene consultũ fuit, vt in serapio de gliziriza aqua ingrederetur rosafacea: quippe quę posset ex lenitudine debilitas partes roborare. hic huic capitulo coronidem imponerem: nisi serapium de papauere me instaret, vt aliqua de eo exararem. porro cum aqua pluuiali auctores id conficiendum docent. non quia ad permeandum illud adiuiet, vt Gentilis quinto canone dixit: sed vt ex libro septimo de compositione pharmacorum localium colligitur: quominus putredini sit obnoxium. dicit enim Galenus, tradens normam confectiõis diacodionis. coquatur capita papaueris in aqua pluuiã, quominus putredini sit subditum pharmacum. habet autem & adstringens quidpiã in se aqua. Ex hac auctoritate clare elicitur, aquã pluuiã nõ in serapijs addi, quia permeare magis faciat: cũ illã adstringere fateatur Galenus.

Enchiridion medicinæ.

Ex hoc conuincitur Brasaboli error. qui suo libello de serapijs dicit, serapia sola quæ ad incrassandum præbentur, sunt conficienda cum aqua pluuiâ: quia magis est infrigidatiua. error istius auctoris ex eo patet. quod Galenus non ob infrigidationem quâ in diacodione facit aqua pluuiâ, illâ addit. & quarto de sanitate tuenda, mulsam quæ ad incrassandum non datur, insinuat aqua pluuiâ esse conficiendam. quod etiam facit Dioscorides. neque hic vir sufficiens dat rationem, ob quâ aqua pluuiâ sit magis infrigidatiua. sed in meo libello philosophico aduersus multa quæ de aqua pluuiâ hic dixit, fui inuectus. igitur breuitati studens, nolo ea hic recensere. dicet tamē aliquis: quomodo Galenus dicit aquâ pluuiâ facere putredini minus obnoxium pharmacum: cum omnes proclamant, illam esse putredini nimis procliuē? ut apud Paulū, & Aetiū videre licet. qui vellet aduersus istos auctores tenere, Galenum habebit patrocinatē: qui insinuauit, aquam pluuiam tarde putrescere. quâ sententiam etiam docuit Cornelius celsus: qui lib. ij. capi. trigesimo dicit, tarde aquam pluuiâ putrere. cui sententiæ videtur suffragari Dioscorides: qui quinto libro aquam quæ tarde cōputrescit, laudat. cum pluuiam veterem ad confi-

ciendam aquã mulsam laudauerit, quã non laudaret, si facile putreret: cũ aqua quę putredini est procliuis ante vetustatem corrumpatur. sed quia (vt dixi) multa de aqua pluuiã in meo opusculo exarauit: dicta sint satis, nec de serapijs plura à me expectes. non enim fuit meum institutum, omnia serapia examinare, sed vsitiora. neq; in his serapijs quę ab alijs fuerũt annotata annotaui. cane peius & angue prolixitatem fugio: qui enchiridion cõstruere intẽdo. proprio volumine mihi opitulãte altissimo, de omnibus cõfectionibus quę in vsu sunt, tractare est mihi animus. tot enim erroribus vulgatę cõfectiones scatent: vt ad eorum expurgationẽ totũ hominem totumq; volumen exoptent.

¶ TERTIVM CAPVT DE purgantium medicamentorũ vsu.

HVMORIBVS Concoctis quod restat est, si natura eos non vacuat: solutiuus medicamẽtis eos euacuare: quorum locupletiolem suppellectilem reperies: quã p̄cessoribus inuenire fuit concessum. nempe multa medicamenta hodie sunt inuenta: quę à maioribus erant ignorata. conandum tamen est, medicamẽta purgantia passim non propinare. Ga

Enchiridion medicinæ.

lenus namq; medicorū iubar tertio libro aphorismorum aphorismo decimo quinto monumētis literarum prodidit: valde indigentibus & ex longis interuallis vtilem esse purgationē. quod à Cornelio celfo nimis cōmendatū reperio. qui libro tertio, capi. quarto scriptum reliquit. ego medicamētorum dari potiones, & aluum duci: non nisi raro debere cōcedo. Plato etiam in thimæo dicit, morbi nisi periculosissimi sint: pharmacis irritandi non sunt. Si omnia hæc considerarent nostrę tēpestatis medici, non tam frequēter subductiua pharmaca propinarēt. siue enim acutus, siue diuturnus morbus sit: eum profligare nisi medicamentis purgantibus non curant. quod facientes transgrediuntur Galeni præceptum, nec non Hipocratis oraculum. qui primo aphorismorū libro lege cauit: in acutis morbis raro medicamentis purgantibus esse vtendum. ijs tamen non attendentes animū multi medici, admodum frequenter sine delectu subductiuas potiones propinant. nec vlla pleuritis est, quā auerruncandam similibus potionibus non tentant. non aduertentes q̄ in cōmentario secūdo de ratione victus Galenus in pleuritide magno pere purgantia medicamenta repudiauit. considerare illos deceret: medicum esse naturę imita

torem. si ergo vident naturam multas egritudines per sudorem vel alias euacuationes extirpare: cur ipsi semper euacuationibus quæ fiunt per pharmacum subductiuum, tantopere sunt additi? audiant obsecro Galenum, qui sexto de morbis vulgaribus commentario secundo hanc sententiam exarauit. illud nouisse fit fatis: succos ad cutem vergentes per eam esse euacuandos. nam iterum ad interna corporis reuulsio ipsis valde longinca est: vt per ventrem aut vomitum euacuetur. quotus quisque tamẽ est, qui hæc considerat? sed non attendendo quo vergant humores, potiones adhibet solutiuas: nec semel atque iterum in vno morbo acuto purgat, sed sæpe. velim ego, vt medici considerarent Galenum dixisse commentario secundo de ratione victus, medicamentum fortia esse admodum perniciose naturæ nostræ. quam sententiam confirmauit sexto de morbis vulgaribus commentario sexto. vbi dicit, fortasse quis existimauerit, & purgantium medicamentorum materiam inter mortifera esse censendam: nam & hæc & ultra modum exhibita nos interficiunt. hæc ille. ex quibus monemur, vt nõ nisi valde indigentibus hæc pharmaca propinamus. atque cum propinamus, medicamenta bene redolentia eis esse admiscenda, vt eorum mali-

Enchiridion medicinæ.

tia retundatur: Galenus commentario secundo de ratione victus monet, & libello quibus medicamentis purgare conueniat. quod si annotassent medici aliqui (quos ipse bene noui) non assenserent, non licere aromaticos pulueres quales sunt diarrodonis vel diambre, purgantibus medicamentis miscere: ne secum ad cor vehant pharmacum subductiuum. & simili ratione contendunt, non decere pharmaca subductiua exhibere ex vino, sed istos tacere præstaret. quippe medicamenta cum non sunt retusa, melius possunt ad quâlibet partem corporis suos fumos diffundere: sicque ad cor breuius penetrabunt. quorum natura si cordi inimica est, magis ei offendet non hebetata à medicamentis aromaticis, quam si sola ipsum attingit. si enim sua ratio valida esset: theriaca ubi viperæ est caro, non esset medicamentis cordialibus conficienda. deerrant etiam: dicendo quod ex vino pota non sunt adhibenda purgantia medicamenta. cum Rufus (ut auctor est Paulus de pestilenti febre loquens) propotissima ad cauendam pestem exhibebat ex aloe & myrrha & ammoniaco & vino. sed absurdum est: si isti medici erant asini, eos conuocare lire somnum. Ad diuerticulum igitur redeundo est notandum, quod Galenus citatis locis non quælibet medicamē

ta redolentia ad hanc miscellam laudat: sed quæ aperire, & patefacere possint meatus, per quos humores sunt euacuandi. sint etiam talis nature monet, quæ attenuare & incidere crassos humores valeant. Si omnia hæc bene cõtẽplaris: aperte videbis, quæ in cõfectionibus purgãtibus quas passim propinamus: tam obtusæ sunt vires medicamentorum soluentiũ, quæ ipsa multum sunt mutata à sua genuina natura. videre tibi licet, quæ scamonium in confectiõne prunorum retunditur à santalis, à berbere, ab spodio, à seminibus frigidis, à dragaganto, & à decoctiõne frigida in qua bibẽdum præbetur. Si ijs quæ ex Galeno citauimus, multum inheres: forsan hæc confectiõnem & id genus multa repudiabis. siquidem galenus monet, vt misceantur medicamentis purgantibus semina, quæ eius malitia retundant: & eius opus impedire nequeãt, sed quæ attenuare, & incidere valeant: vt crassos humores seccare, & vias per quas educi debent aperire, & patefacere possint. Constat autem, quæ medicamẽta quæ sunt in confectiõne prunorum, nõ attenuare & incidere valent, nec vias aperire possunt: sed opus scamoniij impedire, humoresque increassare, constipareque vias, per quas sunt educendi. sed quia natura nunc ob eius imbecillitatem non

Enchiridion medicinæ.

æque fert fortia pharmaca subductiua sicut antiquo tempore: non eos calūniare debemus, qui sic scamonium frenare & hebetare curarunt. tu tamen si times, q̄ sic retusum ad penitiora loca non penetrabit: vbi educēdi resident humores, misce confectionibus subductiuis in quibus scamonium magnopere esse præpeditū suspicaris, semina aliqua calida. nec dictas confectiones ex decocto multum frigido hauriendas exhibeas. non oportet etiam te ipsum latere: q̄ cassia fistularis quæ plurima ex parte in omnes purgantes potiones ingreditur, retundit etiam sua dulcedine, sua humiditate, sua tādē lenitudine scamoniij vires. propter quod bene est excogitatū eā purgantibus potionibus addere. Taceat igitur neotericus ille, qui in sua apologia contendit probare, eam esse denegandam ijs qui febre ardente vel pleuritide corripuntur. dicit enim, quia dulce facile in bilem vertitur, dictis morbis affectis est interdicens. considerate hominis somnium. scamonium nonne nō est biliose nature? sed quia bilem educit, corpus hominis refrigerat. sic cassia nigra dulcis tamen fit, quia bilem educit: nō in illam transijt, sed corpus ab ea releuat. rarenter etiam sola febrientibus acute propinatur: quæ cū alijs sit mixta medicamen

tis admodum iuuat, eorū malitiam (vt diximus) retundendo, nec remoliendo viscera. hæc cassia tunc poterit officere, cum admixta sit exsiccantibus medicamentis. q̄ si potio purgans quidpiã rhabarbari habet: ipsum à nimia remolitione illam arcebit, & si quid est in ea nocumenti reprimet. vt colligitur ex ijs, quę dicit Auerroes septimo libro capi. vndecimo. qui dicit, rhabarbarū reprimere malitiam medicamentorum lenientium. non errat igitur, qui cassiam cum rhabarbaro miscet. licet Ioānes manardus sexto libro epistolarum epistola secūda ancipitem quęstionem dicat: an cum cassia sit sumendum rhabarbarum. ipse tamen postea subiungit, huiuscemodi cōmixtio experimentis multifariam comprobatur. sed iam ad alia vertamus stillum. Porro inter medicos solet esse dissentio: an potiones purgātes sint exhibendę calidę, an frigidę. multorum medicorum vsus est, estate exhibere frigidas, hyeme calidas: sed non in vniuersum est hoc acceptādum. si enim eger imbecillis estate morbo frigido laborat: decētius est, p̄potisma calidum tunc propinare. facilius sic vincetur à natura, meliusq; permeabit. quod esse admodū iuuatiuum, ex auctoritate secūdi cōmentarij de ratione victus iam citata elucescit. Si contra ho

Enchiridion medicinae.

mo robustus hyeme ardentissima febre corripitur: non inconuenit potionem frigidam exhibere. Dioscorides naq; capi. de scamonio ex aqua pura haustum bilem purgare inquit. & capi. de aloe dicit, aloe stomachum repurgat binuum colearium mensura, in aqua frigida aut egelida pota. Si haec multi medici considerassent: non lege certa tenerent, semper potiones calidas esse adhibendas sine temporis distinctione. Dioscorides autem forsan timens estuationem, quam inferre solet ebibitum scamoniū, in aqua pura ipsum hauriendum monet: ut aquae frigiditate remittatur scandecentia. caeterum annotandum est, qd Hippocrates & Galenus commentario secundo de ratione victus monent. qd ubi quis medicamentum ebibit, ptisanam cremorem protinus sorbeat. cuius rei causam subiungens, Galenus dicit. ptisanam cremor superingestus comoditatem affert nempe, & detergere et deorsum trahere quod viæ adheret: & qualitatem medicamenti quod ijs adheret partibus, tum temperare tum permutare potest. ob eas igitur causas a purgantis medicamenti potu ptisanam superforberi precipit. sed ubi purgatio cepit, ab ea vult abstinendum: purgantis medicamenti operationem exolui veritus. haec ille: quae etiam differuit, libello quibus medica-

mentis fit purgandū. ex quibus conuincitur medicorum error, qui hunc cremorem vel suū insulsum ius, de quo mox aliqua dicam, non exhibent protinus ab assumpto medicamēto (vt Hippocrates & Galenus hortantur) sed iam purgatione incepta. ex quo euenire potest (iuxta Galeni dicta) vt medicamenti operatio exoluatur. alij è quorum numero Conciliator est differentia cētesima vigesima septima: finita pharmac operatione hunc cremorem ordeī vel melicratum propinandum volunt. qui sane exorbitant: à documēto Hippocratis & Galeni: qui absq; interuallo à purgantis medicamēti potu sorbitionem dictam exhibere docēt: vt cito detergatur & deorsum trahatur quod vię adheret, & qualitas medicamēti quod ijs inheret partibus. quod si facerent, à multis noxis releuarent egrotos. multos namq; vidi referentes, amarulentum cathartiorum saporem duodecim dies post eorum deuorationem sensisse. quem nō persensissent: si illico postq̄ deuorarunt, superforberēt ptisanę cremorem vel sachari aquam. sed ijs iam missis, de insulso iure aliqua promamus. de quo dixit Conciliator differentia citata. nō cōpetit ius pullę & maxime pingue post purgationem: quod cōmuniter permittitur exhiberi: cum sit

Enchiridion medicinae.

unctuosum stomachi substantiae dissolutiuum. tunc
namque competunt abstersiua mundificatiua, &
post aggregantia & confortantia. trahitur enim
ius praefatum quandoque auuiditate quadam natu-
rae innanite ad venas cum fumis seu vaporibus me-
dicinae: ut inde dolor causetur, quandoque vehe-
mens febris superueniat, & superfluitatum decli-
natio deriuetur, a qua transmandantur parte. haec
sunt ipsissima Conciliatoris verba. ego etiam si
conciliatori subscribam in hoc, quod quia ius est
unctuosum, non abstersiuum: non est exhiben-
dum. video tamen, quod in alia quam exprimit ratio-
ne sibi contradicit. dicit enim, cum ius sit natu-
rae amicum, a natura innanita facile attrahetur.
ex hac enim ratione sequitur, quod aqua mellis quam
ille tantum laudat, non sit propinanda. magis enim
ob suam dulcedinem est amica aqua mellis ie-
cori, quam ius pingue: eoque facilius a iocinore attra-
hetur. aduersus tamen nos haec ratio non inue-
hitur: quippe ante inceptam purgationem aquam
ordei vel mellis exhibendam censemus. & tunc
non nos tedet: quod pharmaci purgantibus vapores ie-
cur & venas pertranseant, quia tunc humorum
attractionem & eorum educationem exoptamus.
& quia in dilucidationem textum notabilium com-
mentarij secundi de ratione victus incidimus:

notandus nobis est textus Hipocratis, qui proximus est huic cuius annotatio nunc præterijt. inquit enim Hipocrates, quoniam ab re nõ est, purgatione in media sorbitionem dare non cõducit: at vbi purgatio defierit, tunc sorbitio datur, sed consueta minor deinde liberalius perpetuo exhibeatur. hæc Hipocrates. quæ exponens Galenus dicit, contra quã plariq; huius temporis medici, rem hanc docuit Hipocrates. nempe hi vbi vacuarunt, copiose nutriunt: Hipocrates vero à purgatione ptisanæ minus ministrari iubet. nam corporum quæ expurgata sunt natura ex purgatiõne agitata labefactataq; tollerare alimoniam non potest: neq; probe eam conficere, nisi omnino pauca fuerit. hucusq; Galenus. quæ omnia si bene contemplantur, aperte vulgatum medicorum errorem ostendunt: qui purgatiõis die pluri & crassiori victu iubent egrotantes vesci: & quanto effatu dignior sit purgatio, tanto victum esse augendũ monent. non attendentes, Hipocratem & Galenũ die purgationis ob rationes iam enarratas sorbitionẽ ptisanæ minuire, & quodãmodo eam formidare: quæ tenuissimus victus est, præ cibarijs quæ egrotãtibus nũc exhibentur. sed incusandus ero, si in ijs immoror: cum Galenus horum errorem satis dilucide

parte citata iam redarguerit. Ad alia ergo dilucidanda me accingere interest, ne ex batologia increper. porro an medicamento epoto fit dormiendū, dubitant medici: nec omnes in hac aperienda difficultate conueniunt. Auicena namq; dicit, q̄ accepto pharmaco forti est dormiendū. Conciliator differentia propria, & Gentilis prima tertij tractatu primo. capit. vigesimo nono. nullum medicamen excipiunt: quo epoto dormiendum non fit. Eandem sententiam profiteatur Antonius musa decimo quarto aphorismo quartę sectiōis. omnibus ijs cōtradicit Leōhartus fuchsius: qui in cōmēto eiusdem aphorismi dicit, vigilandum esse assumpto pharmaco. nos vt videamus, quę harum opinionum sit melius fulcita: vtrarūq; fulcra recensebimus. porro primę opinionis fautores dicūt hausto pharmaco esse dormiendum: quia somnus humores ad vētriculum trahit. secunda ratio est, q̄ per somnū medicamentum in fumos resoluitur, & per venas ad trahendas materias quę vacuari debent penetrat. tertia, q̄ in somno id quod bonum est à malo segregatur: & coctio quędam quodāmodo fit. quarta, per somnum corporis vires simul cum medicamento ad prauas materias per suas conuenientes vias expellendas, impetuosius cō

currunt. Has rationes sic diluit Fuchsius: nam hæc nuper dicta & nunc dicenda ab eo accepimus. vt melius suorum dictorū seruetur series, inquit Leonhartus. minime verū est, q̄ somnus materias ad ventriculum trahat: cum in somno medicamentum concoquatur fere, atq; eius vis ita dissoluat̄, frangaturq;: vt à remotioribus partibus trahere subinde non queat. subiungit: vt cumq; cōcedamus, per somnum in fumos resolui medicamētum. tamen cum auctore Hipocrate in somno sanguis & cum eo spiritus intro magis repat: non potest fieri, vt ad venas penetrent fumi illi, quin potius cum sanguine ad interiora remeabunt. dicit tertio: cōcedimus quidem, in somno si nihil aliud impediāt, bonum à malo separari, & coctionem fieri. sed hoc nomine minus esse dandum, illo tempore cōtendimus. idq; duplici de causa, ne scilicet naturę actionē & coctionem ipsam impediamus, & coctū atq; alteratum subinde etiam à naturali calore medicamentum etiam vim suam amittat. Sic diluit Leonhartus rationes Musę & omniū quę erant suę factionis: & has diluēdo suam corroborat. nam fundamentum suę opinionis in hoc præcipue consistit, q̄ iuxta sententiā Philotei in somno & quiete naturales facultates magis agunt,

Enchiridion medicinae.

ac purgans medicamentum concoquunt, eiusque actionem frangunt. satis longe lateque que ad utraque opinionem attinebant, recensui. Consideratis autem omnibus que utraque opinionem circumstant, fateor, nullam mihi satisfacere. si prima vult, quod usquequo incipiat purgatio, dormiendum sit: ut ex ijs quae Conciliator differentia citata, & Musa praefato aphorismo dicunt, colligitur eos sentire. atqui si secunda doceat, nullatenus esse dormiendum: ut dicta Leonharti aperte sonant. enim vero admodum congrue fieri arbitror: si epoto medicamento eger dormiat eoque, quod ad actum reducatur: postea autem cane peius & angue a somno caueat. assumpto enim medicamento natura conatur illud ad actum reducere: que quanto vegetatior fuerit, tanto citius suam explebit actionem. quanto autem citius reducitur medicamentum, minus in ventriculo moratur: ex quo consequitur minus ventriculo incommodare. ad haec medicamentum purgans & calor nativus ad modum contrariae sunt naturae. cum ergo calor agat in medicamentum, & medicamentum in calorem: quanto calor sit vegetatior, citius vincet medicamentum, minusque ab illo vincetur. Cum ergo in somno calor sit potentior, sequitur facilius vincere, & reducere ad actum medicamentum:

minusq; ab illo officii. consentaneum igitur est, epoto medicamento dormire. quod etiam Paulus videtur profiteri primo libro. capi. quadragesimo tertio: qui in somnū iam versis exhibet medicamenta purgantia. dixi autem, q; vsq; quo medicamētum deducatur ad actum est cōgruū dormire: non tamen quousq; eger purgare incipiat. somnus enim omnes euacuationes cohibet præter sudorem: interdiciēdus ergo eo tempore est somnus, quo euacuationem potest cōpescere. & vt quę dixi, intellectu sint facilliora, est notandum. q; assumpto pharmaco calor genuinus deuincit illud deducendo ad actum, postq̄ iam est deductum, trahere incipit: postq̄ autem tantū traxit, q; attractū iā est nature onerosum: natura illud deorsum excernit. etenim nolo ego: q; in toto hoc tempore qui sumpsit pharmacū dormiat, quousq; scilicet iam deorsum excernantur humores. solum somnum laudo, quoad prima actio expleatur, videlicet pharmaci purgantis ad actum deductio: quę breui fit: & nō requirit tam longum somnum, vt ab assumptis catha potijs medici præcipiunt. ex quo colligitur, q; quanto eger sit robustior, & medicamentum debilius: minor requiritur somnus. neq; aduersus hunc dicendi modum ratio Leonharti ex

Enchiridion medicinæ.

Philoteo deprompta, quicquã concludit. ratio est hæc. in somno facultates naturales magis agunt, ac purgans medicamentum concoquunt: eiusq; actionem frangunt. fateor enim: q̄ in somno facultates naturales magis agunt, ac purgã medicamētum concoquũt: in hoc sensu q̄ illud ad actum deducunt. & hoc est quod optamus. fateor etiam: q̄ actionem medicamenti facultates naturales multum frangunt, si somnus multum durat. si autem solum durat, quoad medicamentum deducatur ad actum: quod ex medicamento frangunt facultates naturales, est illud reducendo ad actum vincere. & hoc nõ inhiemus. & fane si bene contemplantur, plus dicta philotei nostrę opinioni patrocinantur, q̄ opinioni Leonharti: immo opinioni Musę magis fauent, q̄ Leonharto. quia quę diximus: fat esse arbitror ad diluẽdas rationes Leonharti: ob id in eis sigillatim expungendis non immoror. ex dictis iam elucescit, quã deprauatus sit eorum mos, qui cathapotijs adhibitis iubent egrotantes dormire: quousq; purgare incipiant. iuxta enim ea quę iam enarrauimus, solũ debet eger dormire, quoad cathapotia ad actum deducantur: non enim actu tum q̄ sunt in actu deorsum excernuntur humores. iuxta autem ea quę huic

difficultati sunt concernentia, est aduertendū: q̄ apud Nauarros & sibi comprouinciales hæc præualet consuetudo. q̄ cathapotijs deuoratis dormiunt, at assumpta potione quantūlibet forti minime gētium. dicunt enim medici, q̄ ex sententia Auicene q̄ super pharmacū forte dormire decet, & non super debile: & q̄ potio purgās debile pharmacum est respectu cathapotiorū. sane hic est execrabilis error. nam si medicamēta quæ in potione assumuntur, sunt magis contraria naturę nostrę, & fortius euacuant, difficilius ducuntur ad actum q̄ medicamēta in cathapotijs propinata: magis illa q̄ hæc, somnum exposcūt. nec suus magister Auicena quę ipsi somniant, docuit. forte namq; medicametum vocat scamonium respectu cassię fistularis: quippe vegetatiorem calorem requirit, vt à natura vincatur quā cassia. cæterum cōsiderandum est: quod receptus est iam vsus, cathapotia porrigere in nocte, & potiones purgātes in aurora: quod nō debet esse perpetuum. eo enim tēpore sunt medicamenta adhibēda: quo eger magis releuatus est à morbo. q̄ si bruma viget, calidior hora diei est eligenda: quę post meridiem est. q̄ si nimis estuat tempus: frigidiori hora medicamen est exhibēdum, & iuxta hæc si ante gallicinium

Enchiridion medicinæ.

tunc propinamus alijs non reluctantibus, ope-
reprecium facere arbitramur. porro ad pecula-
ria quædam pharmaca medici diffinitas horas
eligunt: nempe si à capite purgare volūt, catha-
potia ante cenam vel illico post cenā exhibēt.
Contra hanc cōsuetudinem videntur Hipocra-
tes & Galenus: qui cōmentario secūdo de ratio-
ne victus lege cauent, vt cibetur eger anteq̃ pur-
gare defierit. videtur etiam hoc negare galenus
quarto libro de sanitate tuēda: qui medicos hor-
tatur, vt post cibum non porrigant medicamen-
ta, quæ ad vehementem distributionem faciunt.
cum autē in multis cathapotijs sint medicamen-
ta, quæ distribuere vehementer valent: relinqui-
tur post cibum cathapotia non esse propināda.
Videtur etiam ratio huic sententię astipulari.
nempe cibus corrumpetur à subductiuo phar-
maco, si in illo tempore exhibetur, natura etiā
occupata in concoquendis cibarijs illud nō po-
net in actū: quod si in medicamēto præpediūt, nō
concoquet cibum. at qui pro vsu habent illico
post cenam propinare: Galenum sibi opitulari
contēdent: qui libro de simplicibus medicamē-
tis ad paternianum dicit. alij post cenam bina
vel trina grana aloes sicut ciceris magnitudine
deuorāt: quoniam corpus procurat, & escas nō

corrumpet. dicent etiam, hoc voluisse Aetium. qui sermone tertio primę partis. capi. vigesimo quarto inquit: commoda est aloë, etiam si quis quotidie sumat aut à cęna aut mane. quod si secundum hos celeberrimos viros aloë potest exhiberi cibis paulo ante assumptis: fas erit, propinare cathapotia quę non habent aliud purgans medicamentum præter aloem. Si ijs auctoritatibus satisfacere volumus, dicemus: quod liber allegatus de simplicibus Galeno est attributus, cum non sit ex sua officina. Contra enim illud quod ibi est exaratum, aloes non corrumpere escas, sed bene posse propinari accepto cibo: est Paulus Galeni simia. qui septimo libro. capitu. quarto dixit: qui vespere aloë propinant vel post cibũ ledunt: quoniã alimentum distrahit. similia etiã protulit serapio septimo de antidotis. ad auctoritatem Aetij sic respõdebimus: quod acena potest præberi aloë, nõ tamẽ sic acena quod illico fit post cęnam: sed acena post cęnam scilicet cęna tamẽ concocta. hæc vt exposuimus forsan alicui applaudent, sed qui subscripserit Plinio non arrident. nempe Plinius vigesimo septimo libro expresse voluit, quod aloë exhibeatur post cibũ pauca temporis intercapedine. dicit enim quarto capitu. efficacior est aloë: si pota ea sumatur ci-

Enchiridion medicinæ.

bus. parum infra dicit, si difficilius cōcoquatur
 cibi: bibitur acena modico interuallo. hæc Plin-
 nius: quibus esse conformia dicta Aetij, non mi-
 rum est q̄ quis contendat. sed nō est cur potius
 succinamus Aetio & Plinio, q̄ Galeno & Pau-
 lo: immo omnibus ijs antecellendus est Galenus.
 & sane non videtur ob quid aloë post cibū sit
 efficacior: nisi quis proteruiat, quod quia ab hu-
 miditate cibi temperantur partes stipticę, quæ
 vincitas quodammodo partes subductiuas ha-
 bent. sed esto q̄ daremus licere aloem post cibū
 propinare: nō ex eo sequitur, q̄ multa cathapo-
 tia fortia quę medici a cęna propinare habēt in
 vsu, sint propinanda. iam enim diximus, q̄ à me-
 dicamentis purgantibus corrūpentur escæ: nec
 calor impeditus in eis concoquendis non facile
 medicamenta purgantia exire in actū sinet. nec
 tamen me præterijt, aliquando Galenum phar-
 maca purgantia cibis miscere. Tertio decimo
 enim methodi de iocinoris inflammatione tra-
 ctans, iocinoris cauum purgare iubet cnicō ci-
 bis admixto, & vrtica, & mercuriali, & epithi-
 mo, & filicula, vel vt alij interpretantur polipo-
 dio. vbi etiam dicit: ego namq; etiam filiculę ali-
 quid in ptisana aliquando incoxi, & nigri vera-
 tri corticem. constat autem ex hac auctoritate,

Galenu medicamēta purgātia cibis mixisse: sed non ob hoc monemur, vt temere passim quodlibet pharmacum cibis misceamus. Quia enim cū iocinoris cauum inflāmatione afficitur, eger est nimis propensus ad vomitum: vt non illico propulsentur, quę adhibentur ad modice deiciensdum aluum, ob id cibarijs ea misceri est operępretium. natura enim amplexando cibū, amplexabitur etiam quę ad irritandam aluum porriguntur. Multa etiam ex ijs quę exhibet parte citata Galenus, tā remissa vi purgatoria sunt prædita: q̄ ea exhibere cum cibis non incōuenit. vt tica enim & mercurialis vt nunc in vsu est exhibere betam, ab antiquis propinabantur. veratri autem corticē in ptifana incoctā Galenus exhibuit: tum propter rationē iam dictam, tum etiā quia humiditate ptifanę obtūdetur veratri malitia. vt enim testis est Hippocrates tertio decimo aphorismo quarti libri, qui veratro sunt purgandi, horum corpora ante potionem præhumectāda sunt cibo atq; quiete. non est igitur mirum, q̄ ad præcauendam exsiccationem quā helleborus potest inferre, cum cibo humectāte exhibeatur a Galeno. cogimur etiam nōnunq̄ cum cibis miscere medicamēta purgantia: cum ea: magnopere abominatur eger, et purgationis

Enchiridion medicinæ.

necessitas incūbit. Paulus enim tertio libro capitulo de curatione manię dicit: si medicamēta purgandi vim habentia tantopere maniaci horreant, vt nequeant ad sumendum induci mentis inopes: miscenda sunt ea latenter ac clanculum: partim sane ferculis ipsorū, verbi causa bucelijs aut caricis, partim etiam poculētis. hęc Paulus: quibus prædicta elucescūt. sed iā multa de exhibendorum pharmacorum modo diximus: tempestiuum est iam aliqua exarare de tempore ea propinandi morbi tempore cōsiderato. porro Hipocrates primo libro aphorismorū lege sanxit, concocta esse medicanda & mouenda, nisi turgeant: si turgent autem, nō expectata coctio ne sunt educenda. illa autem dicitur turgida materia, quę in motu suo inconstans est: nō seruās scilicet proprium locum, sed hac & illac mouetur. hac solum materia in corpore existente, iubet euacuare Hipocrates in præfato aphorismo. cui multum inherentes Antonius musa & Leonhartus fuchsius illum exponentes dicunt: nullatenus licere nisi humores turgeant, medicamentum non facta coctioe propinare. cōtrariam sentētiam tenet Ioannes manardus epistola tertia decima decimi tertij libri. vbi dicit, materiam hisce tēporibus magna ex parte esse eua-

euandam ante cōcoctionem. inquit enim, quod
 cum nunc multa sint inuenta mitissima medica
 menta, quæ antiquorum tempore non erant co
 gnita, quæ non sic agitare cōturbareq; corpora
 possunt, vt antiquorū laudata pharmaca: absq;
 timore ante humorum coctionem ea posse pro
 pinari. præcipue q; nunc ob hominum ingluuiē
 corpora humana longe magis q̄ Hipocratis tē
 poribus repleta morbos incurrunt. ait etiā, qua
 draginta annos & amplius in febrium humora
 lium principio vsū fuisse purgantibus medi
 camentis, quæ à medicis minoratiua dicuntur:
 & ex voto successisse. omnia hæc refellere conā
 tur Musa & Leonhartus: dicentes q; si humores
 non sunt concocti, non obediēt pharmaco, nec
 pharmacum habebit naturam adminiculātem
 in sua operatione. quod si minoratiuum medi
 camentum est (dicit musa) mouebit & non eua
 cuabit. ego licet non probem, tam frequenter
 purgantibus medicamētis in principio esse vtē
 dum (vt Manardus inquit) credo tamen saepe li
 cere, materia non turgente in principio euacua
 re. quando enim materia multa est, & timor est,
 quod ante perfectam cōcoctionem pernecabit
 egrotum: error est purgationē differre. minuen
 do enim horum humorum quantitatem, natura

Enchiridion medicinæ.

fiet potentior supra residuum. & hoc faciendo naturam recte operantem imitamur: quippe quæ cum ab humorum copia est nimis onerata, in principio cupiens se deonerare, aliquam horum humorum portionem euacuat. quod si hæc facit natura: creditu dignum est, quod si in similibus morbis medicus in principio exhibeat medicamentum, quod licet humores non sint concocti, natura quantum poterit pharmaco opitulabitur. si enim sentiens noxam turgentium humorum eos propulsare conatur, licet concocti non sint: credamus etiam, quod sentiens magnum ab humoribus multis gravamen, quod eos minuere sataget. Has rationes sufficere non proteruo arbitror: sed præter has Galenus id ipsum docere videtur undecimo libro methodi. cum dicit, ostensum autem in prioribus libris est, si ijs auxilijs quæ obstructiones eximant, uti non vacuata prius abundantia velimus: fore, ut non modo nihil proficiamus, sed etiam affectum maiorem reddamus pugnantis scilicet inter se indicationibus. at si vacuata prius multitudine ad curandam obstructionem accedamus: medicamentis ijs quæ obstructiones expediant erit opus. verum quoniam horum plurima calida sunt: metus est, ne tum febrem tum putredinem augeant. itaque ijs quæ citra calorem liberare

obstructiones valeant, vtemur. hæc Galenus. ex quibus omnibus duę præcipue sententię mihi annotandę veniunt: quarum prima est. q̄ nō solū vbi materia est multa, licet, hæc medicamēta minoratiua in principio exhibere, sed in febrium principio cauēdum est pro humoris concoquēdi indigentia, concoquētia medicamenta exhibere, si obstructiones adsunt: quia hæc exhibita obstructiones augebunt iuxta Galeni decretū: secundū q̄ annotatione est dignum, est. q̄ si multa est materia, timor est, q̄ per cōcoquētia pharma quę facultatis calidę sunt, humores agitabūtur: qui si quę sunt, obstructiones augebunt, vel ad aliquam principem partem vergent, ex quo nō vulgare sequetur incōmodum. ex omnibus ijs quę diximus elicitur: q̄ nō temere vbi febris adest, propinentur serapia multum calefacētia. claret enim in auctoritate citata, & in ijs quę infra dicit Galenus, quantū ille tunc temporis formidauerit exhibere medicamina, quę obstructiones liberare possunt, si calida sunt. ea enim dicit tunc esse adhibenda, quę obstructiones citra calorem curare valeant. hæc in medium promere dignum duxi: quia scio aliquos medicos innixos auctoritati Galeni. qui primo lib. aphorismo penultimo dixit, humores turgētes citra

Enchiridion medicinae.

concoctionem sunt euacuandi: quia non datur facultas preparandi: nisi quis forte arripiat occasionem propinandi mellicratum, in quo decoctum sit aliquid hyssopi, vel origani, vel tragorigani, vel thimi, vel pulegij. ex hac auctoritate dicunt isti, elici: urgente febre potiones has calidas non esse abnegandas: siquidem febres productæ à turgētibus humoribus calorifice admodum sunt: in quibus decoctum origani & thimi & pulegij quod multum calefacere valet, exhibet Hipocrates. velim ego, vt hæc propalantes considerarent sub dubio hæc dixisse Galenum, quippe qui dicit, nisi forte aliquis arripiat occasionem. & aliquis forsitan contendet, humorum turgentiam non manare è calore. q̄ si humores turgentes non sunt nimis calidi: non mirum est, q̄ pro eorū coctione propinetur decoctū hyssopi & origani. Hoc non probauit Manardus, qui vt in superiori capi. diximus, è calore enasci humorum turgentiam differit. atq; vt magis manifestetur error eorum, qui ceruicose admodum contendere volunt, Galenum nō formidasse decocta calidę potentię in febribus admodum calidis: annotare libet ea quę vndecimo methodi dixit, postquã quæ iam promptissimus propalauerat. dicit enim, si intensus sit febrilis calor: non

detur mulsa, sed ptisane cremor. hæc ille. qui si mulsam formidat, formidabit calorem mulsæ: in qua coctum sit pulegium & origanum. fuggerat ergo hæc menti medici: ne à vera medēdi methodo exorbitent. Ad diuerticulum igitur stillum vertendo. vbi cōcocti sunt humores, si eos natura congruenter excernit, sine illam: si autē tētat eos vacuare, nec facit pro multitudinis ratione: iuua illā, respiciens quo humores vergūt. caue tamē, in statu vbi magna afflictio est, pharmacum purgans propinare. sed prohdolor quā inaduertenter medici hæc tractant: iam pro cōsuetudine habent, bis vel ter cuilibet cōcoquēdo humori serapia propinare, et quarto die purgans pharmacū exhibere: nullatenus autē quinto, quia criticum esse dicunt. Notate hominum inscitiam. si quinto die crism nō expectant, nec eam prædicentia signa præcesserūt: quid obstat, q̄ die quinto vel septimo pharmacum exhibere? considerare hos deceret, Galenum cōmentario quarto de ratiōe victus. vbi dicit, interdum quinta die medicamentum dedimus, & nō quarta solum vt is dixit. hæc ille. immo si pro ratiōe dierum crismorum asseuerant quinta non esse purgandū, nec quarta licebit: quæ etiam a Galeno secūdo de diebus, decretorios inter criticas

Enchiridion medicinar.

numeratur. Cæterum de aliquibus purgantibus
medicamentis in medium aliqua proferre nunc
mihi est animus: vt feliciter huius capituli absol-
uamus sermonem. ea tamen quæ de medicamen-
tis dicendis alij abunde tractarunt, à me audire
non expectes: meum quippe institutum trāsgre-
derer, si explicādis ijs quæ alij optime elucubra-
rūt, calamū admouerem. sed iam ab aloe sermo-
nem auspicemur: quippe quæ inter medicamen-
ta purgātia minus corpori incōmodat. cū enim
omnia alia ventriculo officiant, sola aloe illum
nō labefactat: immo alijs medicamētis admixta
præstat, vt stomachum minus infestent. vt dicit
Dioscorides: cui consentit Celsus. qui dicit se-
cundo libro. capi. duodecimo: quia omnia ca-
thartica ventriculum molestant, omnibus aloe
esse miscendam. at quia vim exsiccādi habet, in-
festissima est ijs, qui citra vitiatos humores ex
intēperie calida & sicca affliguntur. vt Galenus
dicit octauo libro de compositione pharmaco-
rum secundum locos. Paulus etiam aegineta se-
cundo libro. capi. quinquagesimo quinto dicit,
aloe marasimum inducit. incusandi igitur graui-
ter sunt, qui sine delectu in omnibus febribus
& in omnibus temperaturis cathapotia propi-
nant. licet enim humoralis febris heclicæ sit cō-

no. de
aloe.

iugata, cathapotia fuge, si purgare decernis: ne virtute aloes hecticam adaugeas. in tēperaturis etiam admodum calidis & siccis frequentē eius vsum non admittas: ne in distemperantiam pręter naturam corpus ducas. porro periculosam esse aloē hyeme, memorie prodidit Auicena, & Mesue: quos grauius taxat Ioannes manardus in suis annotationibus. capi. de aloē. dicit enim, cum aloē calida sit: maiori iure deberet temporibus calidis officere q̄ frigidis. Ab hac iniuria cupiens Antonius musa prędictos auctores vindicare, libello de simplicibus dicit, q̄ cum ventres hyeme calidiores sunt q̄ estate: idcirco aloē quę medicamen calidum est, magis hyeme infestare. sed sane bonus Antonius incidit in cillā, cupiens vitare caribdim. licet enim ventres hyeme sunt natura calidiores, non tamen absolute. calidiores enim sunt estate caliditate acquisitia: ob quod medicamēta calida tunc temporis magis officere possunt. quod non dissimulans Hipocrates dixit, sub cane difficiles esse purgationes. si enim ratio Antonij quicquā valeret, omnia medicamēta calida periculosiora essent hyeme q̄ estate: quod est nimis absurdum. alio ergo est cōfugiendum, si horum virorum dicta tutari intendimus, dicamus ergo, q̄ aloē ledit

Enchiridion medicinæ.

iuxta dicta Auicene & Mesue tempore frigido: quia iuxta hos viros apta est referare venarum oscula. & promptius hoc facit tempore frigido q̄ calido: quia partes acutę aloe quę facultatem habent referandi, à frigore aeris intromittuntur, & iuxta venas morantur: qui detēti melius orifitia venarū poterunt aperire. tempore enim calido pori cutis sunt patefacti: per quos acuti vapores aloe poterunt eflari. pори etiam venarum tunc patentiores sunt: per quos similes vapores vel fumi facile transire poterūt: qui cum ibi moram non trahant, periculum nō est, q̄ venarum oscula sic aperiant. hoc modo excusandos hos viros mihi videtur. qui autem contēdit aloe non referare venarum oscula: non est, cur hyeme illam propinare timeat. nam si tempore frigido ab ijs qui mauritanorū familię sunt, suspecta habetur: solum est, ob negotium quod hemorrhoidibus venis potest facere. ceterū omnes factionis mauritanę auctores vnanimēs video, in asserendo aloem habere vim referandi venarum orifitia: quibus Ioannes manardus & Leonhartus & ferme omnes recentiores cōtradidunt. & sane græcorū auctoritates potius deortari videntur, q̄ officiat venis cinī q̄ monere. sed si ipsi arabes experientia didicere, aloe rese

rare venarum oscula: non est, cur illos ij medici
 sic detestentur. vt enim Galenus dicit quarto li
 bro de simplicium medicamentorum facultati
 bus, preuertit sensus euidētia rationis fidē. nec
 vllę possunt assignari rationes, quibus quis con
 uincatur negare, hęc vim nō esse in aloē: immo
 ratio huic sententię videtur suffragari. cū enim
 in corpore multum moretur, & suę partes acu
 tē tam adsute sint partibus adstringētibus: vide
 tur, q̄ partes hęc adstringētes intra penitiora ve
 narum partes acutas constipabunt. quę ibi per
 longum interuallum morantes radere & aperi
 re venas poterunt: quod fortiora pharmaca li
 cet acutiora sint, non facient. siquidem non tan
 tum tēpus in corpore morabuntur, neq; adstrin
 gentes habebūt partes: à quibus suę partes acu
 tē intra venarum medituliū stipentur, intromit
 tanturq; omnia hęc tibi erunt perspicua: si con
 iectas, quę dicit galenus tertio de simplicium me
 dicamētorum facultatibus. vbi dicit, in profun
 dum penetrare, & corpora arētia magis q̄ oleū
 rosaceum potest. adstringens enim pars quę in
 rosaceo est, ad penetrādum in profundū iuuat:
 qua cum careat oleū, non sic poterit penetrare.
 hęc ille. si igitur adstringens pars rosacei fact
 quę diximus: quod mirum est, si pars adstringēs

69.

Enchiridion medicinæ.

quæ est in aloë, quæ diximus faciat. quia autem à melle pars hæc adstringens quæ est in aloë, mulcetur & hebetatur: ob id aloë mixta melli magis deijcit aluum. vt dicit galenus. vij. methodi. pars enim adstringens cohercet acutas, remissa tamẽ minus cohercere poterit: ex quo cõuincitur error Auicene & Mesuë, qui male interpretantes Galenum dicunt, aloë melli mixta minus soluere. quos exponens Gentilis quinto canone & tertia decima tertij, derridenda scriptis mandauit. inquit enim, aloë melli mixta minus soluit, quia à melle partes acutę hebetantur. mea tamen sententia acuuntur: quippe mel magis opponitur parti adstringenti aloës, q̃ partibus acutis. sed si tu sua scripta legis, aperte videbis, quãtum à mente Galeni deciscat. de cassia fistulari opportunum erat, hic aliqua dicere: sed quæ explicatu sunt digniora, parum supra in medium prompsimus. vbi confutauimus opinionem eorum, qui dicebãt nec in pleuritide neq; in febribus ardentibus tuto propinari. vbi etiam reprobauimus opinionẽ illorum, qui dixerunt incongruam esse miscellã in potionibus subductiuis ex cassia & rhabarbaro. solum hic restat dicere, q̃ in febribus diurnis vbi nimis remolita sũt viscera, à cassia caueamus: quippe tunc laxatas

partes corroborare conuenit, & non remolire. in paralisi etiam quia nerui sunt remoliti, cassiã nō propinemus: nullū enim medicamen tam salubre est, q̄ omnibus egritudinibus subueniat. an autem ante humorum concoctionem possit tute adhiberi, vt dicit Auer. quinto libro capi. de mercuriali, supra abunde disputauimus. ad rhabarbarū igitur vertamus stillum: quod specie nō differre à rhapontico, scriptis mandarūt Ioannes manardus & Ioannes ruelius. aduersus quos conspirauit Antonius musa, dicens specie differre. dicit etiam, rhaponticum officinarum nō esse centaurium maius: in quo etiam à præfatis auctoribus dissentit. porro vim purgatoriã in rhabarbaro maiores non reperisse, multi cōtendunt: é quorum numero est Manardus decimo octauo libro epistola prima. qui dicit, q̄ textus Pauli est deprauatus, vbi reperitur inter purgantia medicamēta numerare rhabarbarū: dicit enim, pro rhabarbaro esse legēdum nitrū. Leonhartus etiam mordicus tenet à Paulo vim purgatoriam non esse inuentam in hac radice: vt videre poteris, quarto libro aphorismorum aphorismo primo. & sane horum opinio videtur rationi multum consentanea: siquidem Auicena qui Paulo fuit etate posterior, vim purgã

tem in rhabarbaro nō agnouit: vt perspicue claret ijs quę dicit secunda parte canticorum. vbi inter medicamenta quę non habent facultatem purgandi, numerat rhabarbarū. ex quo conuincitur error cuiusdam Hispani, qui in sua apologia volens probare q̄ potiones aliquando sint propinandę frigidę: Auicenam citat, qui capit. de tremore cordis, rhabarbarum in aqua frigida exhibet. ex dictis etiam detegitur error Mesuę, qui agnoscens vim subductiuam in rhabarbaro: illud exhibet contra casus & percussiones. error Mesuę inde emanauit, q̄ Auicena à quo potiorē partem suę doctrine est mutuatus, rhabarbarum dicit valere casui & percussioni. sed si Auicena hæc dixit, & Dioscorides in narratis affectionibus rhaponticum commēdauit: ob id fecerunt, quia solum adstringentem partem in ijs medicamentis inuenerunt. creditu enim dignum est: q̄ si Auicena facultatem purgātem in illo agnosceret, non exhibuisset cōtra casus & percussiones. hoc annotatum fuisse velim à Ioāne manardo: & non multa quę pauci momenti capi. de rhab. annotat. sed ille in hoc vt Mesue lapsus est: qui aduersum casus rhabarbarū etiā propinat adhibita maiori quātitate mumię. sed dicet aliquis, ob hoc q̄ rhabarbarum sit purga-

tiuum, non est renuendum ijs qui ex alto cecide-
 rūt: siquidem Dioscorides admodum proficiū
 esse agaricum ait contufis & ab alto deuolutis:
etiam si facultatem purgantem in agarico agno-
scebat. Ad sic redarguentem est respondēdum,
 q̄ medicamenta quę subducendi aluum vim ha-
 bent: certam quantitatem sibi diffiniunt ad ex-
ercēdam facultatem purgatoriam, qua pollent.
 cum autem talia medicamenta sub minori quā-
 titate exhibentur, licet aluum non purgent, cal-
 faciunt vel exsiccant: prout est temperamētum
quod nanciscuntur. & vt quę diximus fiant di-
 lucidiora: perpēdere licet quę de agarico dicit
 Dioscorides. ait enim, aluū purgat drachma vna
 aut altera. in quo innuit, sub minori quantitate
 q̄ vna drachma fit, non esse exhibendum ad pur-
 gandum. parum supra dicit, horrores soluit da-
tum ante febrium accessiones. vbi ab agarico
 solam calfaciendi & exsiccandi vim petit non
purgātem. prohibitum namq; est ante accessio-
 nes, cum eas scilicet expectamus: purgātia medi-
 camēta propinare. solum igitur illud tunc tem-
 poris tribuit ad calfaciendos & exsiccādos hu-
 mores: quod egregie faciet mensura trium obo-
lorum. sunt autem tres oboli drachma media,
quæ ad purgandum non est potis. duobus autē

obolis in vino mulso contufis & ab alto deuolutis exhibet, non vt humores vacuet, quia non fufficientem quantitatem propinat: fed vt interiora membra roboret, & aliquos humores exciccet. Omnia hæc alta mente effe reponēda mihi videor: nam hæc non confiderans in mille locis Dioscoridis cæterorumq; qui de viribus medicamentorum fcripferunt, cefpitauit. ego ingenuè fateor, fepiffime circa hæc videns quæ medicinæ regulas videbantur trãfgredi, multum dubitaffe. fed eo vnde deflexit fermo redeūtes, ne fcio, ad quid contufis vel ex alto deuolutis fit propināda vna drachma rhabarbari, vt Mefue propinat: fi quidem attrahendo humores cōmouebit, qui cum in motu fint, ad contufam vel recens percuffam partem facile poterūt fluitare. præcipue q; rhabarbarum à mumia à reliquisq; medicamentis ftipticis quibus mifcetur, hoc accipiet, q; humores mouere poterit: obtrufis tamen vijs ab adstringentibus medicamentis eos vacuare non valebit. & fane fi plures medicos interrogas, ad quid valet illa potio rhabarbari & mumię contufis & ab alto deuolutis: refpondent ad increffandos humores, & ad fluxum ineptos reddat. Caritatem enim timentes medici, multotiens dempto rhabarbaro potiones ex

folis medicamentis vilibus quę adstringere valeant, concinatas ijs qui ceciderunt, propinant. immo iam ex multo vsu est, qui ex alto cecidit gelidam aquam abũde bibere: vt humores crassiores facti ad locum affectum non fluant. neq; arbitrari quemq; velim ego, in omnibus contusionibus et casibus purgãtia medicamenta rejicere. quia si medicus agnoscit in eo qui cecidit, humores esse vacuatione egentes: q; medicamentum purgans propinet, est necessum. non tamẽ hoc maiori ex parte est faciendum actu, tum q; quis recepit contusionem, vel ex alto cecidit, vt nunc sine discrimine fit. quippe venam seccant, illico indiscriminatim potionẽ Mesuę tribuũt: neq; aduertentes si plena sunt intestina, & multa alia quę medicum aduertere decẽt. porro aduertendum est q; Mesue edisserit, rhabarbarum tuto vtero gerentibus propinari. quam sententiam acceptauit Musa, quarto libro aphorismorum aphorismo primo: quibus multum dissentit Leonhartus. dicit enim, q; licet materia turgeat primis & vltimis mensibus, nõ debet exhiberi, sed ex subductiuis solum cassia vel manna. sed sane nõ video, cur acquiescendũ sit Leonharto. quippe sola cassia vel manna forsan humores mouebunt, & non euacuabunt: & si longe à

Enchiridion medicinae.

ventriculo sunt, nequaquam illos trahere valebunt: ex quo turgens materia male habebit utero gerentem: quae si congruo pharmaco educeretur, relinqueret gravidam incolumen. non enim in rhabarbaro tam effrenis vis est: ut tantum sit formidandum, sicut Leonhartus dicit. licet enim sepius contingat cassiam adhibere uterum gestantibus, quam rhabarbarum: non omnino est rejiciendum: sua enim adstringenti facultate interiora roborat, nauseas sistit. licet gentilis de fulgineo undecima tertij tractatu secundo. capi. quarto reddens causam, ob quam in aqua frigida illud propinet Avicena: dicit, quia nauseatium est. cum nil minus rhabarbarum faciat. credo etiam ibi Gentilem voluisse, apud Avicenam rhabarbarum esse alui subductivum: quod nunquam Avicena (ut diximus) consensit. circa tamen nuper enarrata est notandum, quod si in primis mensibus gravidationis propinatur cassia, alicui adstringenti medicamento illam miscere licet. tum enim acetabula nimis humida & mollia sunt: quae a sola cassia multum remolita negotium exhibebunt gerenti uterum. quod si gravida mucore plena habere acetabula sentis: non illam tam frequenter propines, ut Mesue & Leonhartus monent: forsitan tunc tutius posset propinari rhabarba-

rum. neq; hoc celebre catharticum tam calorifice arbitraris esse nature, vt protinus estate sit repudiandum: vt quidam allegati ab Antonio Musa vigesimo quarto aphorismo primi libri prodiderunt. Ceterum de agarico iam dicere est tepestiuū. sed de rhabarbaro sermonē agētes, quę annotatu sunt digniora in medium propinquus: solum nunc annotare te velim: q; cane peius & angue caueas propinare agaricum gestantibus vterū. inter medicamēta enim quę foētū corrūpūt, numerat agaricū Aetius sermone. iiii. quartę partis. quod nō est, cur in admirationem nos ducat: si quę Paulus dicit proprio capi. sunt veritate munita. dicit enim, agaricum similem vim habere colocynthidi. colocynthis autem nō debilem pernecandi foētum vim habet. de scamonia iam aliqua dicamus: cuius vis purgatoria tā effrenis est, q; merito antiquis fuit formidolosa. solum Alexandrum tralianum video eius vim non timere: quippe qui secūdo libro, capite tertio, pleuritide vexatis scamonium exhibere monet: ob id (inquit) quia non tam calorifice est potētie atq; cetera cathartica. Dioscorides etiā videtur, cum drachmam vnam scamoneę propinat: nō multum suspectam suam facultatem purgatoriam habere. experientia tamen monstrat,

Enchiridion medicinæ.

hoc esse fortissimum catharticum: nec in tanta quantitate licere illud propinare. licet audaces nos faciat in eius exhibitione Ioannes manardus. qui dicit in suis annotationibus capi. de scamonio. q̄ licet quãtitatem descriptam à Dioscoride non sit ausus dare: non fuisse veritum duodecim grana transcendere. subiungit, scio quosdam scrupulum integrum hausisse sine noxa. q̄ si in subdupla quantitate illud exhibere nobis licet: non est, cur Gentilis & Mattheus gradi cõtendant cathapotia cocia Raze non esse vere descripta. aiunt namq; multam esse quãtitatem scamonij, quod in eorum confectionem ingreditur. sed sane cum in dictis cathapotijs scamonium sit castigatum, minus est timendum dicta cathapotia propinare, q̄ quãtitatem scamonij: quam sepissime exhibuisse fatetur Manardus. inter alia autẽ quę scamonij vim soluentem retundunt, est aloë. et vsq; adeo illam hebetat, q̄ dicit Plinius vigesimo sexto libro, capite octauo. q̄ scamoniũ bilem detrahit, aluum soluit: præterq̄ si adiiciãtur aloës drachmę duę obolis eius duobus. Dioscorides capite de scamonio medicamen concinat ex scamonio & veratro nigro & aloë. ex ijs tamen quę dicit, non potest elici, illũ voluisse aloë retundere vim scamonij. sed sane

rationi est cōsentaneum, aloe sua parte adstringente hoc posse facere. & cū mirobalani præter hoc q̄ sunt frigidi temperamenti, adstringente parte polleant: nescio, ob quid dicit Mesue capitulo de scamonio, quod malitia scamonij additur per cōmixtionem mirobalanorū. si dicis q̄ ob id additur, quia faciunt scamonium longā trahere moram in ventriculo: ad quid mesue in mille cathapotiorū confectionibus miscet mirobalanos & scamonium? multa q̄ cōcinat medicamenta, vbi medicamina quę maiorem vim habent adstringēdi scamonio coniugat. q̄ si ob adstringētes aloe partes aloe hebetat scamonij facultatem purgatoriam: claret, rhabarbarum illud posse castigare, retundere q̄. quę si coniectas, perspicue videbis addi nōnunq̄ medicamēta soluentia: non tamen addi vim purgatoriam, sed minui. nimirum si granis sex scamonij admisceres aloe vel rhabarbari portionem aliquam, si etiā cathapotijs cocijs copulares cathapotia de hiera. magis enim aluū deiciet drachma vna cathapotiorū cociorum, q̄ tantūdem cū drachma media cathapotiorum de hiera. plane nāq̄ hoc ex prædictis potest elici. nisi quis contēdat, medicamenta alia ab aloe quę sunt in cathapotijs de hiera vim purgatoriā augere. dictis quis

Enchiridion medicinæ.

etiam multum inherens defensare poterit, q̄ po-
tio ex drachmis quatuor cōfectionis ex prunis
vel electuarij de succo rosarum magis soluet: q̄
tantundem admixta cassia fistulari vel manna.
quia cassia & manna retundēdo vim scamoniij,
plus poterūt minuere ex vi purgatoria, q̄ leniē-
do purgationē augere. sed iam hæc missa facia-
mus: à me non desideres plurimum medicamento-
rum purgātium inuestigationem. dilucidū exa-
men huius sæculi præstantissimi medici nobis re-
liquerunt. sed tanta est opinionum varietas, q̄
nescio quis intellectus tā trāquillus sit, qui pas-
sim nō vacillet tot opiniones circūspectās. quid
dicam, q̄ in manna medicamine tam extrito &
à nemine nō cognito aliqui ausi sunt dicere, nō
esse rorem è cęlo cadentem, sed quid à metipsis
arboribus productū. non paucas etiam videbis
altercationes, inter indagantes an fuerit prisca
medicamentum notum nec ne. nec epithimum
plebeis non absconditum pharmacū definit ali-
quorum medicorū distorquere intellectus: qui-
busdam asserentibus esse herbam inuoluentem
thimum, quibusdam dissertantibus esse florem
thimi. de eius etiam exhibenda dosi non omnes
cōuenire videbis: immo vnus auctor à metipso
difiert. quippe manardus in prima epistola duo

decimi libri probat dosim, quam Mesue scripti-
tauit: in suis autem annotationibus mesuē acri-
ter taxat. vltimo est annotandum, q̄ præter sub-
ductiua pharmaca quę cognouit antiquitas, &
præter illa quæ mauritani nobis cōmendarunt,
multa hodie video inuenta, quę illis nō fuerunt
nota. omnibus est iam nota rosa, quā nostrates
alexandrinam vocāt, quam persicam ab Auice-
na vocari quidam contendunt, laboriose & po-
tenter educit, sed potētius persicę arboris flos:
cuius purgatoriam vim à nemine exaratā vidi.
multos autem caritatem fugentes illum vsurpa-
re sciui: quem potētissime aluum deicere agno-
ui. & sepe sum arbitratus, videns tam potentem
purgationem in hoc flore, Auicenam de hoc in-
telligere, & debere legi apud illū flos persicus,
& non rosa persica. quia à multis audio, hęc ro-
sam non pridem esse cognitam. sed de hijs dicta
sufficiant.

¶ QVARTVM CAPVT DE

purgatione quæ per vomitum fit.

IN TANTO Vsu fuerunt olim vomī-
tus, quod Asclepiades eos repudiauit: vt
dicit Cornelius celsus libro primo. cap.
tertio, & Plinius vigesimo sexto lib. tertio cap.

Enchiridion medicinæ.

nunc rarenter à medicis vsurpantur, sed iuxta antiquorum decreta non sic sunt explodendi. quippe si natura tentat humores per vomitum purgare, adiuuanda est, & non eius cohibendus motus. cum etiam morbus ventriculum aut stomachū infestat, per vomitus debet fieri vacuatio: vt Galenus dicit secundo libro de arte curatiua ad Glauconē. quę autem in intestinis sunt, ea vacuari vomitione non queunt: vt dicit Galenus quarto libro aphorismorū aphorismo duodecimo. neq; ijs obstat, quod in ileo aliquando stercus vomitur: vt Galenus dicit septimo libro aphorismorum cōmento decimo. & quod clysteres aliquando ad ventriculum ascendunt: vt tertio libro de simpthomatum causis edocet. quia si Galenus negat quarto libro aphorismorū, quę in intestinis sunt, per vomitus posse euacuari: intelligit ratiōe medicamēti, quod ciendi vomitum habeat facultatem. si autem aliquādo stercus euomitur, & clysteres ad ventriculum ascendunt: vi morbi est, & non vi pharmaci vomitorij. hæc sic sunt intelligenda, & non eo modo quo Leonhartus dicit cōmento aphorismi quarti libri iam citati. dicit enim obiectiōi propositę, scilicet qđ stercus aliquando euomatur: est respondēdum, nihil eorum quę in intestinis

continentur, naturali ratione per vomitum vacuari. quod autem interdū sterco aut clysteres per letalem vomitum reijciantur: id ipsum quidē accidit, quod violēter sursum ferantur. idq; propterea, quod vētriculus & intestina iam nō se habent secundum naturam. hæc Leonhartus, quę sane obiectionē nō diluunt. quippe in alui leuitate intestinorum (de qua Galenus in præfatio aphorismo loquitur) nec ventriculus nec intestina se habent secundū naturam: tamen non vacuari posse vomitione, quę sunt in intestinis profitetur. Satius igitur est dicere, galenum vel le vi medicamento vomitorij non posse vacuari quę in intestinis sunt: quod Galeni legenti scripta admodum erit perspicuum. Ante tamē quā huic difficultati extremā addamus manum, est subnotandum. quod cū dico quod quę sunt in intestinis, non possunt medicamentis vomitorijs vacuari, intelligo, cum humores nimis tenaciter intestinis adherent. quod si etiam vis contendere, quod etiam ij possunt euomi: dic quod Gale. parte citata dicēs, quę in intestinis existūt non posse vomitione vacuari: intelligit, medicamento vomitorio leui: quale exoptant, qui alui leuitate intestinorum infestantur, quorum memoriam facit prædicto aphorismo. Ceterū non

in omnibus naturis neq; in omni tempore æque profunt vomitiones: nempe naturam gracilibus magis opitulatur. vt elicitor ex hijs, quæ dicit Hipocrates & Galenus quarto libro aphorismorum, & Aetius sermone tertio primæ partis, capi. cxviii. neq; ijs aduersatur Celsus: qui primo libro, capit. tertio. inutilem esse gracilibus vomitum differit. quippe hic de gracilibus qui melancolici sunt, intelligit: illi autem de gracilibus qui nature sunt biliosæ. hoc ex dictis Celsi facile colligitur, qui postquam considerationem temporis anni posuit: observationem naturarum exprimit. Taceat igitur Leonhartus, qui in aphorismo septimo quarti libri dicit, celsum eos graciles vocare: qui vi morbi sunt extenuati. in eadem parte dicit Celsus, quod vomitus utilior est hyeme quam æstate: quod videtur confirmare Hipocrates commentario de salubri dieta, quod non videtur consonum, ijs quæ quarto aphorismo quarti libri dicit. in ijs explicandis multum vacillat Fuchsius: sed vt Galenus exponit in commentario de salubri dieta, de purgatione quæ vniuersum corpus euacuat, intelligit Hipocrates, in aphorismo quæ congruentius fit æstate quam hyeme. si autem Celsus dixit vomitum utiliorem esse hyeme, intellexit de vomitu qui solum ventriculum va-

cuat: qui nō est vtilior hyeme, eo quod facilius quæ sunt in ventriculo reijciuntur: sed quia maxima pro parte hyeme magis superuacuis humoribus abundat q̄ estate. Cum ergo iuxta iam enarrata ventriculus per vomitum habeat euacuari: eo tempore dicit Celsus esse vtilem vomitum ventriculo, quo magis vacuatione eget. si hæc perpendis: quæ dicunt Hipocrates & Galenus cōmentario de salubri dieta, sunt dilucida: atq; si omnia hæc consideraret Gentilis decima tertia tertij, sciret absoluere, an vomitus sit melior estate q̄ vere. qui dicit, sub dubio est: an vere magis conueniat vomitus q̄ estate. Ceterum culpandi sunt (vt iam dixi) nostrę tempestatis medici: qui nullas egritudines vomitionibus curare intendant, sed subductiuis pharmacis: cum Galenus non paucas vomitu esse curādas dissertauerit. decimo enim quarto methodi dixit, in priapismo potius vomitorijs medicamentis, q̄ subducentibus esse vtendum ratione positi membri. in libro etiam decimo de cōpositione pharmacorum secundum locos dixit, ischiadicis magis auxiliātur vomitus, q̄ euacuationes infernę: vt qui reuellant deorsum repentem humorem. hæc si tu coniectas: videbis in multas esse egritudines, in quibus vomitiones potius q̄ subductiua

pharmaca conueniant: in omnibus (inquã) illis in quibus deorsum repunt humores, & per reuulsionem sunt euacuãdi. sic in podagra potius laudabis vomitum, q̄ vacuationem: quę fit per subducens pharmacum.

¶ DE CLYSTERIVM VSV

Caput quintum.

CLYSTERES Ad multos parãtur vsus: quippe ad leniendum exhibentur, multę ad attrahendos & reuellēdos humores quę sursum repunt, alię ad alterandũ, nõ pauçę ad resoluendas ventositates, ad nutriendum aliquę. quod si omnes clysteriũ species refero: ero prolixus. siquidẽ adhibentur, quę vim habent abstergendi: quę facultatem habent carnem p̄ducendi: & tandem tot modis potes parare clysteres, quot sunt ęgritudines, quę possunt intestina vexare. nos autẽ de enarratis chysmatum speciebus in præsentia aliqua promemus, auspicãdo à leniētibus clysteribus: quę ab Auicena tantum fuerũt laudatę quarti prima, quod dixit, nihil apud me magis dilectum est, q̄ administratio clysteriorũ. hæc mordicus tenens Gentilis dixit in eadem sen tractatu secũdo. placet mihi, q̄ quãuis febr̄es de se affelet horis quibus

in sanitate cōsuevit, tamen vtatur lenitionibus cum clysteribus. quia in febribus putridis feces exsiccantur propter febris calorem: & corrumpuntur, & inflāmantur in illis locis materię nō solum fecates, sed etiam humorales, quāuis non sint de materia principalis febris. hęc sunt ipsissima Gētilis verba: quibus tantum est additum medicorum vulgus, quod tanquā si euacuatio quę per clysteres fit, non posset aliquātisper minuere vires: non solum vnum chysma vno die egrotanti exhibent, sed duo triaue, non aduertentes si virtus sit imbecillis necne. considerare illos deceret, quod Hipocrates cōmentario primo de ratione victus non audet chysmate subluere intestina: si virtus imbecilla fuerit. nec licet arbitrari, quod ibi intelligat de euacuatione quę per fortes clysteres fit: quia solum de chysmate quod abluere potest sermonem agit: vt ex suis dictis & cōmentario Galeni elucescit. exhibita tamen chysmata lenitiua tempestiue, eorū vsus est admodum proficiuus tum in febribus, tum in renum calculo: vias enim patefaciunt, vt liberiorē exitum calculus habeat. ne tamē distēdendo renes, hęc chysmata officiant, si pro renum affectus remedio exhibent: sub pauca quātitate ea exhibere decet, nec eius vsus sit admo-

Enchiridion medicinæ.

dum frequēs in hoc affectu. quippe solet immo-
derata emolitio & laxatio viriū robur exolue-
re: vt dicit Galenus libello de renum dignotiōe
& medicatione, increpans emolientium clyste-
rium frequētem vsū. clysteres autem quę vim
attrahendi habent, ad secundā speciem attinēt.
quę congrue adhibentur, cum citra intensam fe-
brem magna humorum copia fursum repit: &
aliquando infestante febre decet huiuscemodi
clysteres exhibere. vtpote si ad principem par-
tem humores confluunt, qui decenter per tales
clysteres possunt educi, vel reueli: vt in lethar-
go & caro contingit. occupante etiā iecur phle-
mone clysterē exhibet intra mitia Galenus ter-
tiodecimo methodi, ex sale vel nitro vel aphro-
nitro: in remissione autem colocyntidam & mi-
nus centaurium addit clysterem etiam acutam.
pleuritide afflictis exhibet Aetius sermōe quar-
to secundę partis, capi. sexagesimo octauo. in-
quit enim, clysteri autem confidenter vti oportet
in pleuritide ex oleo rutaceo, eliquatis in eo
terebētina & butyro. Ex ijs auctoritatibus per-
spicue elicitor, licere nonnunquā febre occupatis
chysmata acuta vel calida exhibere. quippe ma-
ius cōmodum possunt præstare, reuellēdo hu-
mores, vel educēdo, vel si quę vexant intestina

ventositates resoluēdo: quā noxiam inducere, corpus calfaciendo. videbis tamen multos, qui non formidant cathapotia acuta febrientibus propinare: timent tamen clysterem ex decocto remolientium herbarū, cui addita sit semiuntia hierę pierę vel benediçtę: ac si nō magis possent humores accēdere medicamina acutissima, quę in potionibus purgantibus & cathapotijs exhibētur. execrabile enim est dictum Gentilis: qui prima tertij tractatu tertio. capi. tertio asserit, congruentius propinari scamonium in phrenitidis principio, q̄ chysma acutū. patet hoc à veritate exorbitare: cum qualitas scamonij in ventriculo extantis magis potest attingere principes partes, quā qualitas chysmatis acuti. si enim cū chysmate acuto nō fit tanta vacuatio, quāta cum scamonio: non fit etiam tanta humorū agitatio, nec calfactio. nempe experientia ostēdit, plus corpus cōturbari tribus drachmis electuarij de succo rosarum deuorati, q̄ semiuntia per clysterem adhibita. præter hoc enim quod qualitas medicamēti acuti cum est in ventriculo, facilius potest partibus principibus incommodare, q̄ quando est in intestinis: quia etiam maiorem moram in corpore trahit, cum est in ventriculo: ob id magis officere potest. idcircoq; ma-

Enchiridion medicinæ.

gis vacuat drachma scamoniij epota, q̄ tantūde per clysterem exhibita. maxime quod non potest suos acutos fumos eque diffundere, cum in intestinis est, atq; cum est in ventriculo. sed iam ad tertiam clysterium speciem enucleādā accedamus: quę eas cōplectitur, quę alterare valent. cum enim caliditatem inducere cupimus, paramus clysteres calfacientes. cum infrigidare est animus, infrigidantes. solent enim medici, ad extinguendum febrilem calorem cōcinare clysteres ex medicamentis frigidis: qualia sunt viola, rosa, cucurbitę folia, & id genus multa. sed sane videtur, q̄ chyfma tā frigida repellat humores in partes principes, & magis officiet, humores repellēdo: q̄ oppitulabitur infrigidando. quod bene perpendens Aetius dixit, sermone quarto primę partis. capi. centesimo sexagesimo. quod in febribus vehementibus ac ardentibus, & materiam sursum repentem habētibus nocius est infusionum vsus. credo equidē, q̄ de chyfmatibus infrigidantibus intelligit Aetius. quod si de ijs non intelligit, est sane rationi consonū: quod si febris habet materiā sursum repentem, quod infusionibus infrigidantibus nō prohibebitur materię motus: immo magis adaugebitur. proximas ijs clysteribus quas ventositates resoluunt

posuimus: quibus frequenter vtimur, in ijs qui dolore coli ex ventositate genito laborant. solet tamē à multis execrabilis cōmitti error: qui ex medicamentis multum calfacientibus clystere parant: quę si humores frigidos crassosq; in intestinis reperiunt, ventositates non digerunt, sed adaugent. vt perspicue elicitur, ex ijs quę dicit Galenus duodecimo methodi. cum scribit, dolores eos quos frigidus humor in medio intestinorum interclusus excitauit, sanare conuenit sane non perfusionibus & catháplasmatis: quę valenter excalfaciant. quippe lenti omnes crassiq; & frigidi humores ab ijs quę calfaciunt, nisi etiam valenter digerant: liquantur, ac in flatum mutantur. hæc Galenus: quibus prædicta elucescunt. de clysteribus nutritiuis quę vltimam ex enarratis sortite sunt speciem, iam aliqua promamus. cum hæc dicimus, clysteres posse nutrire asserimus: quod est contra Sabanarolam in principio suę canonice. sed cum in intestinis alimentum possit coqui, vt ex quarto de vsu partium libro, & decimo quarto eiusdē, & ex libello aduersus licum elicitur: nō est negandum, infusa posse nutrire. si enim calor ventriculi potens est coquere carnem vacinam, potēs erit intestinorū calor coquere ius carniū & ouorū

Enchiridion medicinæ.

lutea. neq; ex ijs sequitur, quod si infusa nutrire valēt, quod exterius apposita nutriēt: expresse enim dicit Galenus libro tertio de temperamētis, quod foris imposita non possunt nutrire. ex quo cōvincitur error Cōciliatoris, qui in annexo differētię quinquagesimę tertię, exterius apposita posse nutrire nō negavit. ex omnibus Galeni auctoritatibus iam citatis fit palam, deerasse Gētilem: qui decima tertia tertij tractatu primo. capi. primo negavit intestina habere facultatem concoctricem. qui si advertisset galenum decimo quarto de vsu partium dixisse, intestina potius esse coctionis instrumenta, q̄ superfluitū receptacula: non sic hallucinatus fuisset. in tā tam enim multi sunt ducti insaniam, q̄ negantes intestina habere facultatē concoquendi, dicunt in vētriculo excrementa generari, & non in intestinis. quod præter hoc quod dictis Galeni iam citatis non respondet, est contrarium ijs, quę dicit tertio lib. de naturalibus facultatibus. quippe qui dicit: quomodo fiet sanguis ex pane, quomodo ex beta fabaue aut reliquis id genus: nisi hæc alteram prius mutationem sint adeptæ? iam quomodo in tenuibus intestinis confestim creabitur stercus? hæc Galenus: quę clare vulgatam medicorum opinionem cōdēnant. ceterum de

subdititijs glandibus in hoc capi. aliqua dicere licet: nōnunq̄ enim eis vti licet, chyfmatibus nequaquā: vtpote cum vires egrotantis sunt imbecilles: vt ex cōmētario primo de ratione victus facile potest colligi. cum etiam retrimenta sunt apud intestinū rectum: fat est tunc temporis balanis vti, non habent tūc egri clysteribus opus: vt dicit Aetius sermone quarto primę partis capitulo centesimo sexagesimo. qui in eadē parte prodidit glandiū vsum esse vtilem, in ijs quibus non excernitur id, quod per clysterē immiffum est. atq; si acceptamus, quę Mattheus gradi dicit capi. de tenesmo: sepe clysteribus vti licebit, cū glandes subdere non sit tutum. nempe asserit, q̄ quia glans subdititia facilius potest cōcitare tenesum, q̄ chyfma: quod ob id in vterū gestantibus sunt tutiora chyfmata. quia scilicet in gerentibus vterum nimis suspectus est tenesmus: vt dicit hipocrates aphorismo quinquagesimo primo quinti libri, sed sane etiam si Mattheo cōdonemus, quod à glande subdititia facilius possit cōcitari tenesmus: non est, cur nō vereamur magis in grauidis clysteres q̄ glandes. siquidem clysteres vel distendendo, vel nimis vterum laxando, vel cōmouendo, vel multum euacuādo, multo magis possunt incōmodare q̄ glandes. &

Enchiridion medicinæ.

nisi glandes ex medicamentis multum acutis sint paratę: aptę sunt tenesmū inducere. quod si clysteres ex acutis medicamentis parantur, etiā ultra notatas noxas quę inducere possunt: poterunt tenesimum gignere.

¶ CAPVT SEXTVM DE CURANDI RATIONE PER SANGVINIS MISSIONĒ.

TRACTAVIMVS Prius de euacuatione, quę cū pharmaco fit, q̄ de sanguinis missione, quia illa frequētius vsurpatur: cū plures sint morbi illam q̄ hanc exposcentes, si etiam vires sunt imbecilles: deiectionē mediocrem adhibere licet, venam tamen secare nō expedit teste Galeno quarto libro de sanitate tuenda. at si purgatione & venę sectione eger eget: esse à venę sectione auspicandum Galenus cōmentario primo sexti libri de morbis vulgaribus dissertauit. Cæterū mittēdi sanguinis tres esse scopos, Hipocrates professus est, cōmentario quarto de ratione victus in morbis acutis. & fusissime Galenus libro de curandi ratione per sanguinis missionem. sunt autem scopi, morbi magnitudo, & laborātis robur, florēsq; etas. morbi autem magnitudo nō solum præsens est contemplanda, sed imminēs. quippe non solum

vt iam adsit morbus grauis, sanguinis detrahen-
di tempus est, sed vbi futurum verissimile est.
est autem magnitudo morbi triplex: vt dicit Ga-
lenus septimo methodi. alia quę ex lesę actio-
nis prestātia spectatur, alia quę ex propria affe-
ctus essentia, & tertia pręter has, quę ex faculta-
te quę lesum corpus gubernat, extimatur. secun-
dus scopus est laborantis robur: quo existente
licet signa plenitudinis non appareant, licet de-
trahere sanguinem: vt dicit Galenus octauo me-
thodi. quod non approbabat Menodotus: qui
(vt Galenus dicit cōmētario quarto de ratione
victus) in sola plectorica appellata sindrome
sanguinis missionē obseruari asseuerauit: cuius
errorem sufficienter explofit citato loco Gale-
nus. vltimus scopus est florida etas, quam solam
dūtaxat non debes intelligere, vt Galenus expo-
nit: sed addēda est, & quę illam præcedit, & quę
sequitur. vti videlicet duę tantum distinctioni
eximantur. Hij sunt scopi sanguinis mittendi as-
signati ab Hipocrate: quibus alium addit Gale-
nus cōmentario quarto de ratiōe victus, ille sci-
licet qui ab ambiente sumitur aere. dicit enim,
cum abūde calidus & siccus fuerit aer, ita vt ab
eo cito corpus euaporetur, tunc à sanguinis mis-
sione abstinemus: etiā si morbus magnus fuerit,

Enchiridion medicinae.

florensque etate horum. hac Galenus: ubi videtur
solum aerem calidum venae sectioni formidare.
in libro autem primo de arte curatiua ad glaucō-
nem, de febris continuis loquens, etiam timet
aerem frigidum. inquit enim, neque in locis supra
modum calidis aut frigidis sanguinem mittere au-
demus. sed si regio ipsa & temporis status consen-
tiunt, omnino abstinemus: cum vero non consen-
tiunt, euacuamus quidem: sed multo minus quam
si neutrum prohiberet. hac ille: quae si perpendis,
pauci medici obseruant. quis vidit medicum in
iuuene robusto pleuritide vexato aere aestuante
vel bruma vigente sanguinem non mittere? dicet
etiam disputator aliquis, si consentiunt scopi, san-
guis est detrahendus ex causo laborante: iuxta
ea quae quarto de ratione victus dicit Hipocra-
tes. causo autem laborans tantum potest euapo-
rari a febrili calore veris tempore, sicuti quis si
nocha febre appressus euaporari poterit ab sca-
descende aeris calore: sed tunc est causo laborante
licet aperire venam, ergo licebit ex mitiori febre
capto calore aeris vigente sanguinem mittere.
dicet etiam, arte poterit aeris temperies comu-
tari, quod facilius fiet, quam incumbente necessita-
te a sanguinis missione desistere. sua dicta magis
fulciendo, addet: maior noxa potest contrahi

tempore scādescentis aeris ex euacuatione, quę fit cum forti pharmaco, q̄ quę fit ex venę sectione, nisi magnę quantitatis fit: sed euacuationem quę fit cum forti pharmaco, non omnino repudiavit Hipocrates estuante aere. sub cane enim dixit, difficiles esse medicationes: non tamen protinus eas exclusit. quæstionibus qui mēbranas explent: de curatione regulari locutum fuisse Galenū dicent, coacte tamen licet aer sit abūde calidus, licere venā tundere asserent. sed hoc Galeni dictis nō consentit: qui cōmētario quarto de ratione victus, etiā si morbus magnus fuerit, florueritq; ætas: à venę sectione esse abstinēdum docet. Pręstat igitur dicere, Galenū ad sanguinis missiones quę suo tempore copiosissime fiebant respexisse. tam affatim enim antiqui sanguinē extrahebant: q̄ vbi nos vncias, illi libras. nempe ad deliquium animi Galenum sepe hausisse sanguinem sua scripta varijs in locis declarant. & sex libras sanguinis cuidā iuueni extraxisse, sine hoc quod animi deliquiū fuisset subsequutum: in libro de curandi ratione per sanguinis missionem dicit. ad has igitur tam copiosissimas sanguinis missiones respiciens Galenus, merito ab ijs esse abstinendum nimis estuante aere monet. quod de ijs effatu dignissimis sanguinis

Enchiridion medicinæ.

missionibus intelligat, quæ libro primo de arte curatiua parte iam citata dicit, ostendunt. dicit enim, interierunt nonnulli, qui in calidis admodum constitutionibus non recte euacuantur, ex defectu anime quem syncopim vocant, & dissolutione. in frigidis vero cum accessiones incipiunt, nimium refrigerati nequeunt tollerare: ob hæc igitur neque in locis supra modum calidis aut frigidis sanguinem mittere audemus. hæc ille. Constat autem, quod parçe sanguinis missiones quales nunc fiunt, non valent tantum corpus dissoluere, nec infrigidare. iuxta hæc etiam dicemus: quod Galenus pueris cohibuit sanguinis missionem, respiciens scilicet ad effatu dignissimas sanguinis missiones. & vt rem ab abditis medicine penetralibus repetamus: negandum non est, quod quidam dictitant: pueris protinus non denegasse sanguinis missionem Galenum. in libro enim de curandi ratione per sanguinis missionem, & commentario quarto de ratione victus, & vndecimo methodi, & multis alijs locis, à sanguinis missione esse cohibendos pueros profitetur. in Hispania autem sæpe pueris tunditur vena. si enim puer pleuritide vel angina præmitur, modo puer non sit imbecillis: libenter multi medici è pueris sanguinem mittunt, docti ab arabibus, qui incuben

te necessitate licet venę sectionis magis sint formidolosi q̄ græci, venam aperire in pueris nō recusant. sunt autem multi medici (quos bene noui) qui tam presse Galeni dicta sumūt, quod nullatenus pueris venā secare audent, scarificationibusq; solum vtuntur: dicētes scarificationem in pueris nō repudiasse Hipocratem & Galenū. sed si nobis tam presse dicta Galeni capere fas, vt illis est: facile fulcire possumus, scarificationem etiam Galenum in pueris denegasse. nōnunquā enim innuit, licere vti sanguinis detractio- ne in pueris, quę fit per scarificationem: immo semper eum exhortantem videbis, quod pueris nullatenus extrahatur sanguis. quarto enim libro de sanitate tuenda fere nō minus laudat maleolum scarificare, q̄ venam incidere. in libro etiam de curandi ratione per sanguinis missionem, maleorum scarificationem numerat inter sanguinis missiones. in secundo etiā libro aphorismorū aphorismo decimo septimo dicit: euacuatio omnium humorum equaliter quę quidē exquisitissima est, fit per venę sectionem: proxima autem huic est, quę per tibiarū scarificationē. ex qua auctoritate perspicue elicatur, quod scarificationem annumerat inter euacuationes, quę dicuntur sanguinis missiones. quod si quāli

Enchiridion medicinæ.

bet sanguinis missionem pueris cohibet, eis etiã interdicit scarificatione, vtpote quę sanguinis missio est. & esto q̄ Hipocratis & Galeni dogmatibus extrahere sanguinem pueris per scarificationem nõ aduersaretur: nescio, quo modo puer decem vel duodecim annorum angina vel pleuritide laborãs per solam tibiãrum scarificationẽ curari poterit: nam sola tũc fiet reuulsio, & non euacuatio. nam membra que sunt supra iecur cubiti venę sectionem postulare, infra vero crurum, dixit Galenus sexto de morbis vulgaribus cõmentario primo. & licet magis minuatur vires venę sectio, q̄ scarificatio: forsan in puero angina vel pleuritide vexato magis deijcit vires scarificatio. quia per scarificationem tibiãrũ ex parte affecta vix aliquid detrahes: sed per venę sectionem mittes infectum sanguinẽ, qui gignebat morbum, viresq; deijciebat. igitur rationi est magis cõsentaneum asserere: q̄ licet, pueris sanguinem per venę sectionem mittere. & q̄ si Hipocrates & Galenus sanguinis missionem pueris denegarũt, intelligebant de sanguinis missionibus effatu dignissimis: quę suo tempore fiebant. quod si quis vult cõtendere, iuxta Galeni dogmata nullatenus pueris licere sanguinem mittere: scio non facile posse conuinci.

nã quarto cõmentario de ratione victus inquit: pueri quanq̃ vitali facultate valeant, tamẽ neq; hi sanguinis sustinẽt missionem. prompta enim eorum substantia tum propter humiditatẽ tum propter temperamẽti caliditatem euaporatur. detractiõne igitur sanguinis non egent, qui insitam naturalemq; habent vacuationem. hæc Galenus: quẽ innuere vidẽtur, protinus à qualibet sanguinis missione esse abstinẽdos pueros: qui ppe qui insitam naturalemq; habent vacuationem. quod si ob id quod insitam naturalemq; habẽt vacuationem, sanguinis missione quẽ fit per venẽ sectionem, non egent: claret, eos neq; scarificatione egere. sed fateamur eos nõ indigere sanguinis missione copiosissima: nõnunquã tamen parcam sanguinis missionem quẽ fit per venẽ sectionem vel scarificationem, exoptare. nam licet insitam habeant vacuationem: quandoq; tamen est tanta humoris multitudo, quod natura eget exteriori adminiculo deonerari: vt deonerata quod reliquũ est possit melius vacuare. & hoc faciendo medicus emulatur naturam: quã sepe multas puerorũ egritudines per sanguinis profluuium extirpat. & nõ solum in pueris hoc facit natura, sed etiã in infantibus. Hipocrates enim sexto cõmentario de morbis vulgaribus,

Enchiridion medicinæ.

cōmentario primo, & Galenus ibidem, fatētur, sanguinem emanātem aliquibus infantium vitijs prodesse. quod si valida est ratio Galeni aduersus Herafiltratum (quia scilicet natura per sanguinis fluorem aliquot egritudines curat, medico sanguinem mittere licere) sufficiens erit annotata ratio, vt pueris sanguinē detrahēre liceat: quod Cornelius celsus non inficiatus est. nēpe libro secundo capite decimo dicit, antiqui primam vltimamq; etatem sustinere non posse sanguinis detractionem sibi iudicabant, persuaserantq; sibi, mulierem grauidam que ita curata esset, abortum esse facturam. postea vero vsus ostēdit, nihil ex ijs esse perpetuū: interest enim, non que etas sit, neq; quid in corpore geratur, sed que vires sint. hæc dicit Cornelius, que forsā aduersus Hipocratem promulgauit. ex quo elicitor, Cornelij tēpore pueris sanguinem detrahēre aliquibus medicis fuisse ex vsu. & creditu dignum est, quod sua etate abūdantius extrahebatur sanguis, q̄ nunc solet. si hæc contemplanis, videbis diuersum esse horum medicorū dogma, q̄ Hipocrotatis & Galeni: sed sane rationi est magis consentaneum, quod à sanguinis missionibus copiosissimis sunt pueri abstinendi. hec autem sanguinis missiones sunt, de quibus intel

lexit Hipocrates: cum dixit, mulierem grauidā abortare sanguine detracto. nec hoc esse perpetuum voluit Hipocrates: nam si perpetuum esse voluisset, non subiungeret, id magis accidit, si foetus auctior sit. experiētia etiam monstrat, ex aliquibus mulieribus gestantibus vterum multam quātitatem sanguinis per vuluam vacuari: & tamen non omnes abortire. Aristo. enim dicit. vij. de natura animalium, capi. secūdo. & aliquibus pręgnantibus menstrua euenire. multas etiam videmus grauidas tāto refertas sanguine, quod si affatim ex eis sanguis nō mittitur tertio vel quarto mense (vt Auicena & aliqui arabes percipiunt), ꝑculdubio in vltimis mensibus male se habebunt, & tandem abortient. nempe magnificētissima domina domina Helena de roca uerti, nō minus moribus vite sanctimonia q̄ generis stemate decorata, abortiuit sepe. vidēs autem quidam egregius medicus, ꝑ a sanguinis copia strangulabātur foetus: ex ea mitti sanguinē non exiguę quantitatis tertio grauidationis mēse iussit: & tandem pulchra prole fecit dominū dominū Aluarū de luna parentē. peperit, namq; dominā Ioannam de Rocauerti matri moribus non dissimilem. Errat igitur Leonhartus, qui in cōmentario eiusdē aphorismi dicit, generaliter

Enchiridion medicinæ.

Hipocratem loqui: respiciendo sanguinis missiones effatu dignas, quæ tunc temporis fiebant. constat (vt iam diximus) multas grauidas non abortire: etiam si ex eis multa sanguinis quantitas extrahatur. & (vt diximus) Cornelius celsus qui de sanguinis missionibus copiosis forsan loquitur (nam ante Galenum scripsit) è grauidis sanguinem mittere audet. & hoc dictum Celsi non aduersari Hipocrati asserimus: quia hipocrates non generatim (vt diximus) intellexit, sicuti in hunc præcedenti aphorismo. cum dixit, mulierem utero gerentem capi ab aliquo morbo acuto, letale est. constat autem non semper letale esse, quandoque multas grauidas à morbis acutis releuari conspiciamus: est tamen aphorismus plurima pro parte verus. nam mulieres grauidæ vt plurimo fato funguntur, si corripuntur morbo acuto: vt plurimum etiã grauidæ mulieres abortiunt, si ex eis sanguis affatim mittitur. Ceterum ultra hos scopos assignatos multi medici tempore hipocratis alium scopum obseruabãt: tempus scilicet morbi. vt enim Galenus dicit tertio libro de morbis vulgaribus commentario tertio, Hipocratis seculo medicos quasi lege certa ultra quartum diem venam non audebant secare. hoc tamen non approbabat Hipocrates: qui ultra

octo dies sepe venam tundeat. cuius dogmatis non inmemor Galenus nono methodi dixit, non numero dierum sed vni virium robori in febris attētum esse. quippe quod si seruatum est, non solum sexto septimoue, sed etiā sequentibus diebus sanguis est mittēdus: sin robur nō aderit, neq; tertio nec quarto sanguinem detrahere licet. sed quia plurima pro parte in principio morbi vires magis constant: ob id abundantius tunc sanguinem detrahere licet. sic dixit Galenus libro de curādi ratione per sanguinis missionem, quoniam exoluitur temporis tractu in plerisq; morbis virtus, idcirco & mittendi sanguis occasio dierum numero deperditur: non tāquā primario id dies efficiant. hęc ille. non est igitur expectandum, quod diuturnitate morbi sanguis admodum inficiatur. vt enim Galenus dicit sexto libro de morbis vulgaribus cōmentario quarto, quando sanguis ad alterius naturam insigniter est mutatus, non est detrahēdus: tunc enim non adest sufficiens viriū robur. multi ijs animum non attendunt: sed tunc congruentius se facere arbitrantur, cum infectissimū sanguinem extrahunt. quos legere cuperē Galenū: qui libello de cibis boni & mali succi dicit, merito medici recusabant venam tundere, multis

Enchiridion medicinæ.

qui morbis corripiebantur ob annonę caritatē
affiduam, qui illos grauius afflixerat: licet san-
guis qui mittebat̃, infectissimus apparebat. hæc
dicit Galenus: qui eo laudat medicos illos, quia
ob annonę caritatem affiduam vires egrorum
admodum erant deiectę. Considerent hæc medi-
ci vulgares: & non solum laudēt venę sectionē,
ex qua sanguis infectissimus exhauritur. dicunt
enim ij, ex hoc cognoscit̃ sanguinē esse humo-
rem producentem vel augmentem morbum. sed
aduertere illos præstaret, quod etiam si morbus
à sanguine non oboriatur, potest extrahi infe-
ctus. quippe per venę sectionē omnes humores
detrahuntur: & si ceteri humores à sanguine ad-
modum sunt infecti, sanguis extractus per venę
scisionem infectus apparebit. Est vltterius confi-
derandum: q̃ vltra scopos assignatos ab Hipo-
crate & Galeno, à præsentibus medicis aliū ob-
seruari video: nempe quod in die coitus lumina-
rium non extrahatur. videtur autem galenū ter-
tio methodi hoc non probare: vbi dicit, tempo-
ra solum considerantur à medico ratione tēpe-
ramenti. si ergo tempore eſtatis per coitum vel
oppositionē luminariū temperatur aer: videtur
potius illum diem esse eligēdum, q̃ explodēdū.
idem videtur, si tēpore brumę aer calefit coitus

luminariū ratione: nam iuxta qualitates signorum in quibus fit coitus vel oppositio, aer alteratur ad calorem vel ad frigus. quod si solū tempora considerātur ratione temperamenti aeris: patet etiā eos deerrare, qui ortum canis esse cōtemplandum dicunt ob proprium syderis influxum. notandum tamen obiter hic est, q̄ Aristoteles trigesimo secundo problemate vigesimę sextę sectionis, aerē alterare canem visus est sentire. cui subscripsit Plinius, cum dicit: oriēte cane canes incitantur ad rabiem, acescunt vina. quod ex noua alteratione aeris fieri est arbitrā dum. Conciliator tamen prima sectione problematum problemate tertio, & Musa aphorismo illo sub cane, canem non alterare aerem differant: non aduertentes forsan quę philosophus docuerat. ad pensum igitur redeunt, dico: q̄ si alia non reluctātur, non est ob quid, ob coitum luminariū abstinemus à venę sectione, vel purgātis medicamēti exhibitione. esto enim quod praeue tum luna influat: si in egro tu vides, tunc eum minus esse afflictatum, magisq; aptum ferē de venę sectioni, q̄ præcedenti die erat ob morbi accessionē vel exacerbationem: vel q̄ sequenti die expectas futuram propter accessionem futuram: nō est, cur venę sectionem vel pharmaci

Enchiridion medicinae.

exhibitionem sis recusaturus. audes in febre cōtinua propter imminentem necessitatem nimis afflictō egro sanguinem mittere, non formidando noxam quam morbus infert: & times noxā quam luna potest influere, quam forsan non influet? si enim Galeno tertio dierum decretoriorum fidem adhibes: multi sunt, qui melius se habent coeunte luna, quo modo hoc ex dictis Galeni elicitor, nō promo: quia si tu citatum librū legis, facile perpēdes. & sane si tu astronomicis dogmatibus multum additus quosq; prauos syderum influxus fugis, vix diem reperies, in qua aliquid mali aliqua sydera non minentur: & sic sepe à vene sectione & pharmaci purgantis propinatiōe etiam si necessitas incumbat, cauebis. sed iam missa istec faciamus: satis cum astronomis lusimus. ad medicinam igitur regrediamur: quam vbi pulchrius inuenies q̄ in non satis laudato Claudio Galeno? attende igitur, quę decimo tertio methodi dixit: q̄ quę diximus de sanguinis missionis scopis, magis illustrabūt. porro de lethargo loquēs inquit: accidit veluti demonstratum in libris, de ijs est ex frigore segnitia, ex calore immodicus motus, ex humoris vero vitio dementia. itaq; incidenda in talibus affectibus vena est statim ab initio, si modo tam valēs

virtus sit, vt sine noxa missionem sanguinis tolleret: ac nihil prohibeat, eorum quę de secanda vena retulimus: sicuti vel crudi humoris copia, vel puerilis ętas, vel anni tempus, vel regio in qua sit extremus calor, aut frigus. hæc ille: vbi alium scopum esse obseruandũ præter quatuor dictos innuit: scilicet ne sit crudi humoris copia. nam in lethargo venam esse secãdam edisse rit, si virtus valens est: nec repugnat anni tēpus, nec ętas, nec humoris crudi adest copia. constat autem, q̄ hoc vltimũ enarratis quatuor scopis additur. sed ab hac difficultate nos extricantes dicemus, quod præcipui scopi sunt illi quatuor: ijs autem adnectuntur multa alia, quę venã esse secandam, vel non esse aperiendam, vel affatim vel parce sanguinem esse mittendum, indicant. omnia autem hæc breuiter percurrit Galenus, primo libro de arte curatiua ad glauconẽ, capi. de cura febrium continuarum. vbi dicit, neq; in locis supra modum calidis aut frigidis sanguinem mittere audemus. progreditur dicens, sunt etiam multi, qui nunquã sunt euacuati, neq; euacuationem vllam integram aut mediam longã possunt perferre. sed alij quidam ex ijs in omnimodam corporis imbecillitatem facile incidũt. quidam vero os ventriculi male affectũ habēt,

adeo vt cibos aborreant, & consuetudo quoq; non parui momenti est tum ad omnia alia, tum præcipue ad euacuationis indicationem, quidã enim nunquã fuerunt euacuati, & nunq̃ euacuationem integram pertulerunt: hos nec si omnia alia id suaferint, euacuare oportet. eodẽ modo corporis habitus considerare oportet, nam qui dempsa & solida carne cõstãt, his habitus haud facilis pati: quare non oportet vereri, ipsos euacuare ex toto, siquidem et alia id iubent, sed qui mollem & humectam & diffluentẽ habent carnem: hi mirum in modum sunt ad patiendũ habiles. quare & si omnia alia sanguinem esse minuendum persuadeant: non tamen id facere audent eodẽ modo, qui supra modum crassi sunt, aut macilentissimi & his venã incidere cauẽdũ est, aliasq; euacuationes integras vereri oportet, omnia hæc sunt desumpta à Galeno: quę in medium promere non me te duit, vt perspicue agnoscas, ad alia esse animũ attendendum pro vena secanda, q̃ ad quatuor enarratos scopos. qui enim humoris crudi multam habent copiã, facile animo linqũtur: vt duodecimo methodi Galenus dicit. vbi etiam ait, quod hi nulla euacuatione vtantur, q̃ ea quę fit per frictionẽ. perpende omnia quę diximus: & non in qualibet

febre venā secabis. sunt aliqui, qui dicta Galeni
 medullitus non contēplantes, in omnibus febrī
 bus obseruatis quatuor scopis sanguinem esse
 mittendum monent sine distinctione: audiētes
 quæ vndecimo methodi dixit. scilicet quod in
 omnibus febrībus quas putrescens concitat hu
 mor, vena est incidēda. sed vt ex Galeno iam ci
 tati: consuetudo, corporis habitus, & alia mul
 ta sunt contēplanda, & accidentia etiam. primo
 enim de arte curatiua ad glauconem dicit. sed
 neq; si quis simul cum febre distentione neruo
 rum laborauerit, & sanguinis eguerit missione,
 neq; huic tantum mittere oportet, quantum exi
 git morbus: sed etiam aliquid accidēti est relin
 quendum, cuius causa sepe sudores eueniunt, &
 vigilię molestant, & vires egroti debilitantur.
 ita etiam si vehementissimę vigilię aut dolor in
 tensus egrotū infestant: cauendę sunt subitę ac
 multę euacuationes. hæc ille: quę si multi medi
 ci pensicularent, non tam effreniter sanguinem
 sine vllō delectu mitterent. sed operę pretiū est,
 quod ad alia iam vertamus stillum. notandū igitur
 est, quod (vt Galenus libro de curandi ratio
 ne per sanguinis missionem docet) præstat ma
 ne venam incidere haud protinus ex somno ex
 citis: verum circiter horam vnā iam antea vi

gilantibus. ex quo conuincitur quorūdam medicorum error: qui admodum proterue contendunt, congruentius mitti sanguinem pro meridiano tempore. dicunt enim ij: quod quia mane sunt venę innanite, nō tam bene exhauritur sanguis sicut post meridiem: quę iam ex assumpto cibo sunt restitute. hoc dicūt voluisse Arnaldū cōmēto regiminis salernitani. videte quāti sunt hi medici faciendi, qui antecellunt auctoritatē Arnaldi Galeni decreto: videte insuper q̄ imbecilli se muniant ratione. si venę sunt sanguine multum referte: quam innanitionem in eis inueniunt? sed prestat iam hos lōgum valere iubere: quos propter eorum insignem famam subtere sum coactus. neq; à me dictum putes: semper mane venam esse secandam. vt enim Galenus citato loco dicit, quauis diei noctisq; hora potest sanguis extrahi: modo medicus respiciat in febrientibus particularium circuitum declinationem. medici etiam interest, vt anteq̄ sanguinem mittere iubeat, sciat an probe deiciat egrotātis alius. si enim agnouerit egrotum non probe facere oletum: chysmatibus anteq̄ sanguis mittatur, moneat intestina abluere. hoc enim sic esse faciendū omnes arabes docēt: vt expresse apud Auerroem in primo capi, septimi libri, & apud

Haliabatem nono libro practice capi. secundo, videre poteris. neq; ex grecis desunt, qui hoc expresserunt. Galenus namq; vel quicumq; auctor sit, dicit in presagio experientia confirmato: q; precedat chysma venę sectionem. idem docet Aetius sermone primo secunde partis capi. septuagesimo primo. sed dicent aliqui: ad quid re tam perspicuam, ferme ab omnibus vsitatã, hic tantum munire conatur? quibus me satisfacere arbitror, si illis propalo aliquos me nosse medicos, qui acriter contendant, prius esse sanguinẽ mittendum, q; chysma adhibeatur: pro quorum refellendo errore que in medium prompsi, fuit necessum. sed adhuc non salua res est. nam pro sue opinionis tutamine isti citant Hipocratem, & Galenum: qui comentario quarto de ratione victus in morbis acutis, a sanguinis missione clysterem exhibere iubent. quibus sic esse respondendum censeo. q; Hipocrates quando sanguinẽ mittere precipit, nõ habet suspensionem, q; cybalis sint intestina onerata, alias ea abluere mone ret, cum autem post sanguinis missionem clysterem exhibet, timet, quod sanguinis missione facta non sponte probe deiecerit aluus: quia licet antequã sanguis mitteretur, probe aluus deiecerit, solet venę sectio eam astrictam reddere. ad

Enchiridion medicinæ.

quid quaeso, cybala in intestinis vellet Hipocrates pro explenda venę sectione? siquidem vt experientia monstrat, ijs quibus sanguis mittitur causa soleant animi deliquij: ratioq; ostēdit esse dicta cybala noxiam illatura. siquidem exinanitę venę ad se rapiant nō nihil excrementorum, quę in aluo resident. nec me fugit: quod si exhibendum chysma ex medicamentis acutis est paratum, à quo humorū attractionem querimus: quod prius est sanguis mittēdus, q̄ hoc chysma exhibeatur. & tandem si aluus non est astricta, nō eges prius clysterem exhibere, q̄ vena secce tur: vt multi medici certa lege faciūt. solū enim nos asserimus, q̄ aluo non bene deijciente prius exhibeatur chysma, quā vena secce tur. quod si mittēdi sanguinis maxima incumbit necessitas: non debemus venę sectionem differre, quoad expurgentur intestina. periculum enim solet esse in mora. tanta enim sanguinis mittēdi necessitas vrget: quod etiam si quis sit pransus, sanguinē mittimus. dicit enim Aetius sermone quarto tertię partis, tradens curā podagrę ex sanguinis copia facta: in omnibus diei horis venam secare cōuenit, ijs qui vehemētibus doloribus sunt apprehensi: adeo vt etiam si quis pransus sit, nihil veritus tamen venam secare possit. hæc Aetius.

quod si pleno vētriculo nōnunq̄ venam secare licet: licebit etiam plenis intestinis. ceterum de venis quæ frequēter secari solent, aliqua in medium promere operępretiū est: vt hinc ad alia explicanda facile progrediamur. porro in cubito tres sunt præcipue venę, ex quibus sanguis mitti solet: axillaris scilicet, media, & humeraria. de vena axillari dixit Galenus cōmentario quarto de ratiōe victus in morbis acutis: q̄ velocissime et plurimū ex ijs quę principes sunt partibus, corpus vacuat: atq; ob id in acutis morbis ad eam se cōferre Hipocratem dixit. hac autem apparente secandam esse pleuritide laborātibus, commētario secūdo de ratione victus differuit. cuius rei rationē subiūgēs, dicit: nos partem eā quę phlemone obsidetur, tum celeriter tum q̄ ceteras partes magis in acutis præsertim morbis vacuare cōtēdimus. quod sane in terna cubiti vena facit: multoq; magis si ad superiora vergere videatur, aut superiores thoracis partes affectę sint. hæc Galenus: ex quibus cōuincitur Conciliatoris error, qui differētia cētesima nonagesima prima dixit: quod si dolor lateris fuerit in parte superiori thoracis, magis iuuare sectionem venę medię, q̄ axillaris. conuincitur etiam error multorum medicorū, quā nulla ha-

Enchiridion medicinae.

bita cōsideratione in morbis acutis vel lateris affectu venam cubiti secare iubent: non exprimentes quā, sed eam solum, quę crassior vel corpulentior apparet. non attēdunt isti, quod non omnes venę eque pleurę cōmunicant: & quod ob maiorē cōsensum quē habet vena axillaris cum pleura, ex ea missus sanguis magis iuuat, q̄ ex vena media: vt Galenus citata parte dicit. q̄ si maiorem explicationem quęris: lege quę in libro de curādi ratione per sanguinis missionem differuit. vbi explicās in gibbero tres esse locos mittēdi sanguinis: inquit, interiorē de quo est hic noster sermo, vtilem esse in ijs quibus inferiores collo partes patiuntur: exteriorē vero in ijs, quibus ijs superiores sunt: medium vero, omnibus cōmunem, & quę sunt supra collum & infra. tutius autem ex exteriori loco q̄ ex cęteris mitti sanguinem, Aetius profitetur sermone primo tertię partis. capi. quadragesimo quinto. inquit enim loquens de cura dyntericorū, secare autem oportet in dextro cubito venam humeralem appellatam: neq; enim similiter hac vena incisa vires labefactantur: & insensibiliter quodammodo furtimq; sanguis aufertur. quod si hęc non appareat, necessario mediā secamus: inferiorēq; incidere ob subiacentem arcteriā

vitandam. hæc Aetius: quæ longe diuersa sunt, ab ijs quæ vulgus sentit. plurima namq; pro parte formidatur humeralis venæ sectio, tanq̄ multum periculosa. de venis gibberis iã diximus. in manu autem frequenter secatur vena, quæ inter anularem digitum & paruum est: hæc multi saluatelam vocant. quæ est in dextra manu, admodum opitulatur in iocinoris affectibus: & quæ est in sinistra, in lienis affectionibus. in multo etiã vsu est harum venarum sectio in progressu diuturnarum febrium: quæ non vulgarem opem laboranti præstat. est tamen cõsiderandum, q̄ ego apud Galenum nõ video: quod de saluatele dextre sectione (permittatur mihi sic loqui) aliqua dicat, de scissione autem saluatele sinistre libro de curadi ratione per sanguinis missionem, memoriam facit. vbi si Gaudani interpretationi fidem adhibemus. parum laudat huius venæ scissionem. interpretatur enim, affecto liene haud æque iuuat circa medium digitum sinistre manus incisa vena, atq; si interna cubiti secetur. alij affirmatiue legẽdum dicunt. vides: quod in toto libro qui est de curadi ratione per sanguinis missionem, de saluatele dextre sectione non meminit, quæ autem de saluatele sinistre scissione dixit, iam audisti, vbi etiam dicit: aliqui aiũt,

Enchiridion medicinæ.

scissa vena quæ est ad paruum digitum affecto lie
ni iuuare: quod etiam libro tertio de anathomi
cis administratiõibus scriptitauerat. dicit enim,
reliqua pars venæ quæ paruum digitum addit,
dum obliquum cubiti appedicẽ perreptat: ramum
quẽdam exilem ad posteriora digiti mediij trãf
mittit. mox bifariam scissa, altera parte mediam
digiti mediij & annularis regionem ingreditur.
quam venam nonnulli in sinistra manu secantes,
sinentesq; sanguinem ex ea fluere quousq; vltro
sistatur, lienem ex tali vacuatiõẽ iuuari asserunt.
hæc Galenus: ex quibus perspicue colligitur, ex
dictis aliorum sectionem huius venæ laudare ga
lenum. claret etiam, quod ibi de saluatele dextræ
sectione memoriam non facit. Colligitur tertio,
quod antiquitus non erat ex vsu, pro curãdo lie
nis affectu, secare venam quæ inter annularẽ di
gitum & paruum est, vt nunc fieri solet: sed ve
nam, quæ inter digitum medium & annularem
interiacet. Aetius tamẽ sermone quarto primæ
partis. capi. duodecimo, patiente splene venam
quæ est inter annularem digitum & medium se
candam esse dicit: qui de sectione saluatele dex
træ nullam facit mentionem. sed certe experiẽtia
ostẽdit, huius venæ scissionem iocinori laborãti
admodum opitulari, quod non præterijt Paulus:

qui libro tertio. capi. quinquagesimo, eam secādam in ijs qui aurigine laborāt, monet. Auicena etiam secūda tertij capi. vigesimo quarto, sanguinem missum ex saluatela dextra magis ex iocinore euacuare, q̄ missum ex interna vena, dixit. Cui sentētiae addictus Gentilis de fulgineo capi. de obstructione iocinoris. dixit, saluatelarum incisionem esse expertorum iuuamentorū. qui sane vera propalauit. tantam enim opem in progressu febrium humoralium saluatele dextræ sectio præstare solet: quod instar incantamenti egroto subuenire credas. hæc enim iecur refrigerat, quod ob febrilem langorem scandet. ratione enim ascitij caloris humores gignebat infectos, qui fouebant morbum. moderata autem eius temperatura tēperatiores humores creat, qui putredini sunt minus obnoxii: & sua temperatura membra prauo calore affecta temperāt. iuuat etiam hæc venę sectio: quia humores (vt ita dixerim) fuliginosos qui ex diuturnis febribus remanere solent, euacuat. multumq; temperat arterias, deinde cor: quia sanguis qui ex ijs venis effluit, magis conformis est arteriali sanguini, q̄ ex magnis venis emissus. quia ergo potius ad alterādum, q̄ ad euacuādum, in progressu febrium venę sectione vtimur: ob id magis

harum venarum scisio iuuat. & quia nō humo-
 ris multitudine (vt ego arbitror) sed praua qua-
 litate potius dolor circa iecur quendam inuase-
 rat: ob id ex sectione dextrę arterię quę est in-
 ter pollicem & indicem, magnum est secutū iu-
 uamentum. vt dicit Galenus libro de curādi ra-
 tione per sanguinis missionem. solet etiam cum
 qualitas producens dolorem capitis est admo-
 dum fixa, sectio arteriarū iuuare: vt apud mu-
 tos auctores reperies. ad tollēdam igitur fixan-
 (vt ita dixerim) qualitātē, quę in progressu fe-
 brium est: saluatelarum venarum scisio præte-
 alia iuuamēta quę infert, patrocinator. quipp-
 quę (vt diximus) multum vicina est sectioni ar-
 teriarum. harum etiam venarum sectio parum
 debilitat: quia (vt Galenus dicit libro de curā-
 di ratione per sanguinis missionem) quid men-
 tione dignum ex ijs venis effluere non solet
 iam venę crurium nos citant: vt de eis aliqua di-
 camus. porro in cruribus secari solent vena ma-
 leoli exterior, & interior, & harum rami. popli-
 tis enim venam multum cōmendatam à galeno
 nullos hodie secare video. quibus autem affecti-
 bus ex venis crurum missus sanguis iuuet: abun-
 de explicat Galenus libro de curādi ratiōe per
 sanguinis missionem, vbi inter alia dicit: quod

in ijs quibus repressi sunt menses, semper in cru-
 ribus est vena scindenda, vel maleolus scarifican-
 dus. cui auctoritati innixus Leonhartus fuchsius
 sectione quinta aphorismorum aphorismo trige-
 simo secundo contendit: nunquam licere, venam cu-
 biti secare in suppressis mensibus. multi tamen
 practici monent, multa existente repletione se-
 care venam cubiti, deinde maleoli. quod corro-
 borari potest ijs, que dicit Aetius sermone quar-
 to quartę partis. capi. quinquagesimo septimo.
 vbi dicit: cum ob plenitudinem mulieres non pur-
 gantur, cubiti ac tali venas secare oportet. hæc
 dicit Aetius: que si Galeni dictis non contraire,
 contendere volumus: dicemus, de per se (vt ita
 dicam) cubiti venę sectionem non adiuuare ad
 mensium effluxum, iuuare tamen de per accidens
 magna existente plenitudine, deonerando quippe
 naturam. que quidem aliquantisper releuata quod
 residuum est, per conuenientia loca euacuabit.
 contingere enim potest: quod ob multitudinem
 sanguinis natura grauata sit, idcircoque sanguinem
 per vuluam non emittere: que si per venę lectio-
 nem deoneratur, optime redudentem sanguinem
 per deputata loca propellat. hoc experientia sepe
 fieri didici. & sane videtur, quod si magna est
 plenitudo, et exigue fiant maleoli sanguinis mensis

Enchiridion medicinæ.

siones, vt fieri solet: quod tātus sanguis poterit ad vterum fluere, quę obstructionē adaugeat, & forsan inflātionē gignat. omnes enim practici docēt, quod quia sectiones quę fiunt in maleolo, solum fiunt ad attrahēdum: quod eis paucus sanguis debet extrahi. video tamen Galenū sexto libro de morbis vulgaribus, cōmentario tertio, cuidam extenuatissimę cui menses erant suppressi, vna vice sexquibrā sanguinis detraxisse, altera vice libram. Paulus etiam libro tertio capi. sexagesimo primo, sanguinem è maleolo affatim esse mittendum monet, ad mēses promouendos. quod si affatim mittitur: periculum non est, quod sanguis attractus detentus in vtero obstructionem vel inflātionem creet. sed nos iam de ijs hæctenus.

¶ DE EPITHEMATI- bus, & Vnguentis.

AVICENA Quarta primi. capi. decimo octauo, discrimen assignās inter emplastra & epithemata, dicit: emplastra sunt talia, qualia epithemata: sed emplastra sūt dura, & epithemata currentia. hæc ille. sepe tamen auctores malagmata vocant epithemata.

Galenus enim secundo libro de compositione
pharmacorum secundum locos, ad inueteratu
capitis dolorem epithemate vtitur cōcinato ex
retrimentis, quę expressio irino vnguēto super-
sunt: & ex peucedano, & castorio, & ex cerato
rosaceo. & in tertio libro de medicamentis lo-
calibus, epithema cōcinat ad contusas aures ex
amigdalibus amaris, & ex tragacāto, & visco quer-
cino, & ex cera, & galbano, & thure. quod no-
strates emplastrū vocarent: nisi quis tam presse
vocabulum emplastrum sumeret, vt Cornelius
celsus. qui quinto libro capi. decimo sexto, po-
nens discrimen inter malagma & emplastrum,
dicit: malagma magis ex floribus eorumq; etiā
surgulis emplastra pastiliq; magis ex quibusdā
metallicis fiunt. sed eo vnde defluxit sermo re-
grediēdo, dico: quod probati auctores sepe per
epithemata non medicamēta fluida intelligere
volunt: vt ex auctoritatibus Galeni elucescit.
quod etiam corroboratur ijs, quę dicit septimo
methodi, vbi dicit: ceratis valentiora sunt phar-
maca, quę à medicis vocantur epithemata: quę
ex vnguētis vel ex ijs quę similem vim obtinēt
medicamentis, componuntur. hæc Galenus: quę
quia Auicena decima tertia tertij tractatu pri-
mo. capi. vigesimo quarto nō recte interpretat,

Enchiridion medicinæ.

idcirco multorum expositorum distorsit intel-
lectus. Auicena enim de affectibus vetriculi lo-
quēs, vt etiam Galenus: quę galenus dixerat, sic
conuertit. epithemata & emplastra sunt melio-
ra embrocis: embrocę enim sunt debilis impres-
sionis. cæterum sumendo epithema pressa signi-
ficatione, vt quarta primi Auicena sumit: est no-
tādum, quod medici in febribus vacuata humo-
rū abundantia vtuntur ijs epithematibus: nunc
ea admouent pectori, nūc hipocondrio dextro,
aliquando vtriq; parti. quę pectori admouent,
vocant cordialia: quę solum ad leuam ponunt.
sed cum cor iuxta iam enarrata locum medium
pectoris teneat: non est, cur solum sinistrę tho-
racis parti admoueant. porro concinant medi-
ci hæc epithemata ex aqua rosacea, & maragari-
tis, & terra lemia vel armenia gleba, & aceto ro-
saceo. ego tamen non tutum iudico, medicamē-
ta tam adstringentia pectori admouere: quia vi-
deo Galenum vndecimo methodi hæc detestā-
tem. dicit enim, vacuatis superuacuis non solū
audacter lauem, sed etiam cathaplasmatibus vtar.
in alijs quidem membris ijs quę relaxent, in io-
cinore vero ac vetriculo additis etiam quę me-
diocriter adstringāt. parcius vero ad pectus ad
ea est adstringentibus vtendum: quando talia

humores qui phlemonem excitāt, in pulmones
et cor nōnunq̄ reprimunt. quę si bene perpēdis,
 non temere medicamenta nimis frigida & ad-
 stringētia pectori admouebis. & nota: q̄ vacua-
 tis superuacuis ea timet Galenus, quę multo ma-
 gis formidaret abundantia non vacuata. hęc no-
 tauī: vt te cautum facerem, ne incideres in erro-
 rem Matthei gradi. qui capi. de ictero dicit, an-
 te superuacuorum vacuationem licere in feбри-
 bus epithemata frigida pectori admouere. at
 qui si ea post vacuationem timet Galenus, credi-
 tu dignum est: quod ante vacuationē ea magno
 pere execraret. Est etiam circa hęc aduertendū:
 quod Aetius sermone primo secūde partis. capi-
tu. septuagesimo octauo, monet: vt epithemata
 quę pectori admouentur, non sint tepida: quia
 partium firmitatem exoluunt. vbi etiam dicit:
 tempus autem frigefacientium epithematū est
 vigor exacerbationis. cuius rei causam subiun-
 gens dicit: nam in principijs ac augmētis exacer-
 bationum dum adhuc inequaliter adfectio est,
 & caliditas circa viscera residet: si hęc adhibeā-
 tur, diffundunt quidem sensum. verum repellen-
 tia caliditatem in profundum maius detrimen-
 tum inducunt, incluso intus feruido calore, &
 rursus febrem ardentē efficientem. hęc Aetius:

Enchiridion medicinae,

quæ vti verissima sunt, nollem aliquem medicum præterire. sed multorum medicorum consuetudo est, postquam febrientem purgarunt: indiscriminatim frigida epithemata pectori admouere, & hipocondrium dextrum unguentis frigidis linire. qui hoc faciendo, sæpe à vera medendi metho do deerrant. ex omnibus ijs quæ diximus, perspicue patet eorum error: qui medicamenta vim repellendi habentia, pectori intra pleuritidis initia esse admouenda, contendunt. quia iuxta ea quæ vndecimo methodi citauimus: periculum est, ut id genus medicamenta humores qui phlegmonem excitant, in pulmones & cor reprimant. sed de unguentis iam aliqua in medium promamus: quæ de epithematibus diximus, iam sufficiant. porro unguentis lenientibus medici vti solent ad molienda viscera, aperiendasque obstructions: quæ febres solent stipare. hoc tamen faciunt vacuata abundantia, & recte quidem: iuxta ea quæ vndecimo methodi Galenus exarauit. quippe qui dicit: non est utendum relaxantibus cathaplasmatibus, priusquam superuacua sint purgata. quæ si annotasset doctor quidam Zamoranus: non contenderet in sua apologia probare, quod ad concoquendos febrium humores lenientibus unguentis vel cathaplasmatibus non facta vacuatioe

vti licet. sed forsan iste vir Galenum vidit: sed eius authoritati contraire non recusauit. sed videat obsecro: quod ratio militat contra illum. præcordia enim similibus vnguentis linita alluunt humorum abundantiam: eo quod obstructions magis augent. immo in pleuritide si magna est plenitudo, id genus vnguentis vti non licet ante superuacuatorum vacationem. dicit enim Galenus tertio de morbis vulgaribus commentario tertio: nec fouere quidem, & lenire ante corporis vacationem partes dolentes licet: nam sepe pars affecta omnino ob ea remedia allicit humorum affluentiam. quod si fomētis calidis vtitur, commentario secundo de ratione victus, ante quam corpus sit vacuatum: est, quia non est plenitudo. ibidem enim dicit, quod si in toto corpore est humorum redundātia: quod in principio talia fomēta non solum non profunt, sed officiunt. de lenientibus vnguentis hactenus. solent etiam medici vnguenta adstringentia ventriculo ad-mouere: cum in febribus facta purgatione deiecta est appetentia. at quia plurima pro parte in febribus fastidium aboritur propter ascitium calorem, qui in stomacho est: vel propter exsiccatos prauosue humores qui in ventriculi ore resident, vel ad eum confluunt: non congruum est,

Enchiridion medicinae.

indiscriminatim similibus vnguentis vti. cum ed
hac exsiccando, febrem exacerbāt, nec fastidii
causę opponuntur. si autem ex ventriculi laxatiue
ne humoribusq; remolientibus in appetētia fili
orta: horum vnguentorum conuenientissimu
est vsus. semperq; decet, quę ventriculo parau
tur vnguenta, alicuius adstrictionis non esse ex
pertia: vt ex ijs quę vndecimo methodi dicit ge
lenus, est dilucidum. execrabile tamen est: quo
multum adstringentia parentur, cum subuenire
volumus deiectę appetentię, quę ex prædictis a
causis oboritur. cæterum si ad iuuandam vētri
culi concoctionem vnguenta non sufficere me
dici arbitrantur: emplastra quę valentioris sint
virtutis ventriculo admouent. hæc autem tēpo
re cibationis esse remouenda Mattheus gradi.
capi. de vētriculi imbecillitate monet: ne impe
dimento fit alimenti descensui. sed periculo nõ
vacat, quod illo adminiculo eo tempore vētri
culus priuatus, non officiat: siquidem qui ob
emplastra erat corroboratus calor, eo amoto
ad exteriora diffundetur. quod si timet, q; em
plastrum comprimendo, non finet cibaria ad
ima descendere: moneat egrotum, vt deambula
tione quapiam post assumptum victum vtatur:
quę si quid est, quod descensum cibariorum ini

cunediāt, remouebit. porro bene cōsultum est, vt
 tidn purpureo panno extēdantur emplāstra, quæ
 ativentriculo sunt admouenda: iuxta illud quod
 a filit Galenus septimo methodi. vbi dicit: sane
inutilius est, quod sic madefacies: etiam optima sit
in purpura, qualis est thiria: quando & adstringi
exentriculū modice, & cutis eius meatus obstrui
gexpedit. hæc dicit Galenus. ex quibus ego colli-
go, toto cęlo aberrare, qui exanthematibus ve-
roxatos induunt pannos purpureos: siquidem sua
is adstrictione erunt in causa, vt infectus succus
qui est in externis, ad interna refluat. etenim si
e purpurei coloris pāni sic affectis iuuant, ob nil
t aliud est, nisi quia eos egrotus aspectās, occasio
nem arripit in res rubeas imaginādi: ex quo eue-
nit, vt sanguis de internis ad externa erumpat.
ponantur ergo, vbi eger eos possit videre: non
tamen parti affectę admoueantur.

 TERTIVS
LIBER.



IN HOC MEDICORVM horto in quo diu est quod insu-
dauimus: multas vidimus stir-
pes, quarum nomina adhuc lati-
tant: de nulla nãq; speciatim ser-
monem egimus. quippe licet curandi plurimas
generales regulas tradidimus: ijs tamẽ nec egritudo
potest agnosci, nec peculiaris curandi mo-
dus didici. ad quem docendum non requiritur
enchiridiũ, sed magna volumina: quorum locu
pletissimam suppellectilem reliquit Galenus,
alijq; celebres viri: à quibus tibi integrã meden-
di methodum petere fas erit. In hoc enim libro
solũ annotationes aliquot videbis circa aliqua
egritudinum genera: quæ antiquorum plurima
dilucidabũt dogmata, triualiumq; medicorum
nõnulla obelisco signabũt errata. at antequam
ad speciales egritudines descendamus: dicamus
prius de corporis affectu, qui præter naturã est.
porro illum triplicẽ esse, Galenus in multis par-
tibus prodidit. et vt ex multis vnum locũ citem.

dicit libro de simpthomatum differētijs. omnis corporis affectus qui à naturali recessit: vel morbus est, vel morbi causa, vel morbi simpthoma. morbus autem (vt citato loco dicit Galenus, & secundo libro de methodo) status quidam vel affectus præter naturam est. à quo functio leditur primum. an autem ipsa actio vel affectus sit morbus, dubitauere multi: vt primo methodi dicit galenus. sed (vt galenus diffinit) melius est affectum actionem vitiantem morbum appellare, q̄ ipsammet actionem. est tamen illud quod primo methodi dicit Galenus, menti cōmendā dum: quod in quo genere est sanitas, in eodē est morbus. itaq; quod si quis actionē vitiatā morbum dici velit, vtiq; multo prius statuat necesse est: sanitatem esse naturaliter se habentem actionem siue affectum, qui actioni incōmodat. multoq; ante qui secundum naturam est, siue hunc affectum siue cōstitutionem dici velit, sanitatis vocabulo appellet. omnia hæc sunt deprōpta à Galeno: quæ loculenter explicant, quæ dixit secundo libro artis medicinalis cōmento decimo tertio. vbi dicit: vitiorū genera eadem sunt ijs, quæ virtutem perficiūt. ibi vult Galenus: quod in quo genere sunt affectus virtutem perficientes, in eodē sunt & vitia. itaq; quod si sanitas est

Enchiridion medicinae.

in actione, & vitium erit in actione. sed si est in
affectu vel constitutione actionem perficiente,
& vitium similiter. tandem quod in eodē gene-
re in quo est tēperatura, in cōsimilibus est mor-
bus illi cōtrarius. & in quo genere est sanitas, q̄
est numerus & formatio: est illi contraria egritudo.
& similiter in quo genere est sanitas, quæ
est vnitas: est & morbus, qui illi opponitur. ar-
bitrari nāq; quod ibi voluit Galenus, quod tot
sunt species sanitatis, quot sunt species egritudi-
nis: vt expositores enarrant, est absurdum. quis
nisi mētis inops potest negare, quod plures sint
species egritudinis? sanitati enim quæ in tempe-
ramento consistit, quæ vna est: opponitur mor-
bus frigidus, & calidus, & humidus, & siccus. &
prope infinite sunt in distemperamento morbi,
qui optimam temperaturam possunt peruerte-
re. sanitas enim licet latitudinem habeat, in me-
dio est: morbi autem procul sint à medio. infini-
tis enim prope modis quid potest à medio dista-
re, paucis tamen potest medium attingere. quip-
pe ab scopo distantia multifariam fit: quæ quo-
modocūq; morbus est. solū enim qui est in sco-
po vel medio, dicitur sanitate potiri. vni enim
medio multa extrema possunt opponi. sed inu-
tiliter laboro: cum hoc nisi cecutientibus sit fa

etum euident. pro certo igitur teneamus, Gale-
 num diuersum ab istorum expositionibus do-
 cuisse: neq; illum vnquã voluisse tot esse sanita-
tis species, quot morbi. esset enim asserere, tot
esse centra in circulo: quot puncta sunt in circũ
ferentia. sed ijs iam dimissis est notandum: mul-
tijugas esse morborum differentias. sunt enim
morbi quidam simplices, quidam cõpositi. mor-
bi autẽ simplices secãtur in tres species: in mor-
 bos que ad temperamentum attinet, que simila-
 ribus sunt proprij. et in morbos quos medici cõ-
 positionis appellant: qui instrumẽtarijs sunt pe-
 culiars. & in morbum vtrifq; membris cõmu-
 nem: qui vnitatis dicitur diuisio. solent etiã me-
 dici diuidere morbum: in eum qui fit, & in eum
 qui factus iam est. diuidunt etiam in acutum &
diuturnum. in hæreditarium & nõ hæreditariũ.
 in morbum qui affligit per se, & in eum qui affli-
 git per cõsensum. quod si ijs differentijs gaude-
 mus: multas huiuscemodi possumus subiũgere
 species. est quippe morbus vulgaris, & morbus
 fusaneus & vernaculus. est morbus cõtagiosus,
 & qui non contagiosus. sed has differentias mis-
 sas faciamus: de enarratis aliqua propalemus cõ-
 pendario tamen sermone, vt breuitate quã sem-
 per cupimus, in hac parte fruamur. porro diui-

fionem illam iam abſignatã ſcilicet q̄ morbus
 eſt qui fit, & morbus qui iam factus eſt: multi re
 pudiant. dicit enim Leonhartus fuchſius ſecun
 do libro aphoriſmorũ aphoriſmo decimo ſex
 to: quod morbus eſt ex numero permanentium
 & constantium: & qui cum fit, non dicitur mor
 bus ſed pathema. pathema enim in ipſo fieri ſuã
 eſſentiam poſſidet. de nominibus non debemus
 multum eſſe ſoliciti: vt Galenus in multis locis
 monet. ob quod parum intereſt, quod affectus
 qui fit, voces morbum vel pathema. ſed ſi cum
 fit, actionem vitiat: videtur iuxta diffinitionem
 morbi ex mēte Galeni iam aſſignatam quod de
 bet eſſe morbus. citauimus etiam ex Galeno: q̄
 tres ſunt tantum affectus, qui ſunt præter natu
 ram. quod ſi pathema eſt affectus præter natu
 ram, & nõ eſt cauſa nec ſimptomata: relinquitur
 quod fit morbus. ſed in ſecũdo methodo video
 Galenum aliquãdo dicere, ſimptomata & pathe
 ma eſſe idẽ. ſed iã ad aliã diuiſionẽ accedamus:
 quę eſt, quod morbi partim ſunt peracuti, par
 tim ſunt acuti, partim ſunt diuturni. quod ſi vis
 acutos peracutos complecti: ſolum duo mēbra
 diuiſionis pones. de omnibus ijs egregiam do
 ctrinã videbis apud Galenum libro ſecundo de
 diebus decretorijs. acuti aut morbi quos priſci

nominatim perstinxerunt: sunt pleuritis. peri-
 pneumonia. phrenitis. lethargus. causus. & qui-
 cūq; alij hos consequuntur morbi, quorū febres
 prorsus continue interficiunt. scriptum hoc sic
 reperimus ab Hipocrate cōmentario primo de
 ratione victus in morbis acutis. quod Galenus
 parum infra exponēs dicit: natura acutorū mor-
 borum est, vt horum febres omnino sint conti-
 nuę. ex quibus omnibus palam fit: hos celebres
 auctores morbum acutum nō nominare, quem
 febris continua non consequitur. in quinto au-
 tem libro aphorismorum aphorismo vigesimo
 nono galenus insinuat: multos esse morbos acu-
 tos citra febrem infestantes. vtpote morbus co-
 mitialis. morbus attonitus. conuulsio. & disten-
 tio. pro contrarietate hac diluenda dicere lice-
 bit: quod Galenus dicens cōmentario primo de
 ratione victus naturam morborum acutorum
 esse, vt horum febres sint cōtinuę: solum animū
 attēdere morbis acutis, quos prisca nominatim
 expresserunt. In quinto autem aphorismorū li-
 bro nō se astringit eos solos acutos nominare:
 sed omnes quotquot ob magnitudinē breui in-
 terficere valent. qui enim non sunt magni, non
 sunt acuti: vt dicit Galenus secundo libro apho-
 rismorum aphorismo decimo nono. ex quo eli-

citur, diarias febres nō esse acutas. ex dictis etiā
 colligitur illos deerrare, qui febrem tertianam
 intermittentem acutam vocant: cum non omnē
 continuam exprimit Hipocrates sed causum. &
 ex omnibus auctoritatibus prædictis palam fit
 istorum error. est huic proxima diuisio: de mor-
 bis quę hereditantur, & nō hereditantur. proh
 dolor quanti hereditantur morbi. ab ipso pro-
 toplaustro hereditauimus peccati fomité: quę
 sic insita manet, vt præter deiperā ex puris crea-
 turis nullus sit non factus heres. huic fomiti est
 adiuncta egrotandi pronitas: quā etiam ex pri-
 mo parente contraximus. vides igitur qualiter
 multa hereditamus mala: & quo abimus, hæc
 nos hereditas stipat. porro Auicena secūda pri-
 ma doctrina secunda dicit: sunt egritudinū quæ
 dam, quæ in semine hereditantur. sicut albarras
 alba. & tinea naturalis. & podagra. & ptis. & le-
 pra. quod dictum exponens Mattheus gradi vi-
 gesima secunda tertij arbitratur, nullas præter
 has hereditari egritudines. vtinam verum dice-
 ret Mattheus, sed fallitur, & à seipso est diuer-
 sus. qui nono ad Almanforem capite de lapide
 renum asserit: morbum qui est calculus, heredi-
 tarium esse: cui dicto experiētia suffragatur. sed
 quis potest negare, plures esse morbos heredi-

tarios: cum Hipocrates libro de aere & locis alios præter enarratos numeret? dicit enim: caluos caluos gignere, & strabones strabones. experientia etiam monstrat multos alios hereditari. nempe gutturosi gignunt filios gutturosos, & cruribus vari varos. & sane tot nos circumstant mala: quod ferme nullus morbus est, qui non possit hereditari. febris etiam à parentibus mutuatur: licet multum contendat Mattheus, quod non possit hereditari. vidi sane aliquot grauidas febre quartana laborantes, parientes filios: qui intra duos vel tres annos à natalitio quartana febre corripiebantur. aliquos etiam vidi multum obnoxios febribus tertianis: qui similibus febribus parentes sui frequenter occupari assertabant. sed cum ratio ijs dictis astipuletur: non est, cur tantum in ijs immoremur. nempe febre quartana laborans semen ei aculabitur ad naturam melancholicam vergens: à quo qui genitus fuerit, eadem naturam mutuabitur. idem tibi dicere licet: si quis tertiana est correptus. quod si quis pleuritidi est obnoxius propter thoracis imbecillitatem: filios gignet pleuritidi obnoxios: & sic pleuritis hereditarius erit morbus. que hanc sequitur diuisio est: quod sunt morbi qui per essentiam, sunt qui per consensum affligunt. affi-

Enchiridion medicinæ.

citur namq; caput proprio affectu: cum ex redū
dantibus ibi humoribus dōlet. per consensum
autem sunt ij dolores, qui à bilioso humore in
ventriculo contento eueniunt. aliqui autē fue-
rūt, vt Galenus dicit primo de locis affectis: qui
negarunt tunc caput affici. Apud etiam neoteri
cos video magnas altercationes, circa hāc quā
enucleamus diuisionem. quippe Iacobus de for
liuio secundo libro artis medicinalis questione
quinquagesima septima dicit: nō requiri ad hoc
quod membrum egrotet, ipsius aliquam naturā
ledi, vel in aliqua earum esse nocumentū. Mat
theus gradi nono ad almansorem. capi. de dolo
re capitis hoc neutiquā fieri posse asserit. funda
mētum Iacobi est: quod si muscoli pectori sunt
impediti ad mouendum pectus, ad guttur non
peruenit aer, qui debet secundum naturam ve
nire: propter quod guttur potest dici egrum, li
cet nullam naturam habeat lesam. hoc refellen
do Mattheus dicit: tunc temporis guttur esse le
sum essentialiter in natura organica. at Matthe
us inutiliter in ijs tricis anilibusq; nenijs cru
ciatur: cum vtrumq; probabiliter dici posse, Ga
lenus primo de locis affectis fateatur. quem si le
ctitasset: circa rem tam futilem nō satageret. di
cit enim Galenus idem exemplum assumens:

quibus igitur partibus vel materie vel facultatis copia non transmittitur, actionem ledi probabiliter dixeris, parte ipsam faciente nequaquam lesa: at vero si vel a vaporibus vel humoribus aliunde ad ipsam venientibus ledatur: eam non recte dixeris illesam. neque minus etiam probabile est, partem vel materia vel facultate priuatam ledi: utique si officium suum cum hac reciperet, secundum naturam exercere posset. hæc Galenus. sed si teneatur, quod pars non est lesa, ut dici potest: adhuc extat Iacobi inquisitio, an pars illa dicatur egra. hoc tenendo probabiliter dici potest quod non: cum in ea nullus sit affectus actionem vitians. ceterum secundus qui præter naturam est, affectus est causa: hanc triplicem esse maior pars medicorum fatetur. Leonicensis tamen & Leonhartus fuchsius dicunt, solum esse duo genera causarum, scilicet antecedentem & procatarticam. quibus non consentit Brasauolus: quippe qui aphorismo trigesimo septimi libri dicit: iuxta Galeni dogmata ponendam esse causam cõiunctam, sed solum in ijs morbis qui esse habent, dum fiunt. hæc que dicit Brasauolus, facile retorquebuntur à Leonharto. quippe qui asserit (ut iam citauimus) affectum qui solum esse habet, dum fit: nõ dici morbũ sed pathema.

Enchiridion medicinæ.

Circa hæc obiter in superioribus aliqua dixi, nunc dico: quod præter auctoritates citatas à Brasauolo quæ probant Galenum aliquando causæ coniunctæ vel contentiue memoriam fecisse: inuenio libro sexto de morbis vulgaribus comentario tertio causæ contentiue memoriam facere. video etiam numerantes opera Galeni dicere, illum integrum opus de causis coniunctis construxisse: quem non reperiri asserunt. sed hanc indagationem alijs relinquamus: & de tertio affectu aliqua propalemus. Est autem tertius affectus simpthoma: quod medici accidens vocare consueuere. sed magnum est discrimen inter accidens & simpthoma. dicit enim Galenus primo methodi: quæ constitutionem vnde actio nascitur, necessario sequuntur: sanis quidem nobis accidentia egrotantibus simpthomata nuncupantur, vnde constat, accidentia actionem sanam sequi, sicuti simpthomata actionem læsam. aliquando tamen accidens annumeratur inter corporis simpthomata. dicit enim Galenus libro de artis medicæ constitutione: quod simpthomatum genus in tres dirimitur differentias: in offensam scilicet actionum accidentia corporibus excernendorum immoderationes,

De febribus.

DE FEBRIBVS priusquã de reliquis ægri tudinibus sermonẽ agamus: si quidem frequentius inuadunt, pluraq; cæterarum ægri tudinum genera comitantur. a diffinitione igitur auspicantes dicimus quod febris (teste Galeno secundo libro aphorismorum aphorismo decimosexto, & comẽtario primo de ratione victus in morbis acutis) est ortus caloris natiui ad igneum cõuersio.

Non tamen quelibet conuersio natiue caliditatis ad igneam est febris. siquidem solus calor digiti vel brachij potest conuerti ad igneam naturam: & tunc temporis homo non dicetur febrire. nisi quis cõtẽdat, tũc digitũ vel brachiũ febrire: licet reliqua mẽbra non febriant. sed hoc alienũ est ab ijs, quæ dicit Galenus decimo methodi, quippe qui asserit: q̃ in oĩbus febribus necessum est cor affici. in libro etiã secũdo methodi dicit: non calorem omnem qui actioni officiat dici febrem: sed calorẽ illum qui totũ corpus vexat. dicit enim: cum homines ad compendium alioqui natura procliues eiusmodi calorẽ febrem vocant: quippe expeditius dictu est febricitare diuinem, q̃ tantũ in toto corpore calo

ris habere, vt multas functiones corrūpat. hæc
 dicit Galenus. Quibus si multum volumus ani-
 mū applicare: negabimus, quod quæstiones ven-
 tilantes asserunt. scilicet febrim ob id dici affe-
 ctū cordis, quia potest illud solum febrire, præ-
 ter hoc quod reliqua membra febriant: sed nō
possunt reliqua membra febricitare ipso nō fe-
briente. Si enim dicitur febris de calore totum
 corpus occupante: constat, solum calorem cor-
 dis non dici febrem. sed hæc quia pauci momen-
 ti sunt, iam dimittamus: quia. vij. methodi non
 negat Gale. quod in solo corde possit fieri fe-
 bris. cæterum febris dirimitur in ephemeram,
 & humoralem, & hecticam. Febris ephemera
 est: cum calor est ascensus in spiritibus. hæc vt
 plurimum non transit vnus diei spatium. Fe-
 bris autem humoralis in putridam & nō putri-
 dam secatur. Febris autem humoralis non putri-
 da inter diarias numeratur a Galeno nono me-
 thodi. non autem dicitur diaria, quia vnus diei
 fit solum: quia vsq; ad tertium diem potest extē-
 di, (vt ibidē dicit Galenus) sed quia ferme ean-
 dem naturam habet cum diarijs proprie dictis.
 desistit enim post primam accessionem: si opti-
 mum inuenerit medicum: qui eam recte tractet.
 oritur autem hæc febris ex densitate vel conni-

uentia meatuum cutis. densatio autem quæ hæc febrem gignit (vt ibidem dicit Galenus) in ijs qui sanguine abundant & corpulentis, debet esse, quando nec obstructio, citra putredinem excitare febrem valet: nisi id quod transpirat, & copiosum sit & calidum. De hac febre loquens Aetius sermone primo secundæ partis cap. septuagesimo dicit: quod conflatur ob calidi sanguinis copiam nondum putrefacti: & eo quod non transpirat, feruore solū caliditate excitatis. Multi autem solent dubitare: an præter sanguinē ab alio humore non putrefacto possit oriri febris. qui volūt, q̄ ab alio humore nō putrefacto possit enasci febris: Aetiū habebūt patrocinatē, qui sermone primo secundæ partis. cap. xcj. ab effervescente bile in calidis & siccis temperaturis febres fieri ait: sine hoc quod bilis putrescat. Alexander etiā tralianus libro. v. cap. secundo nō miratur, q̄ ab atrebilario humore nō putrescente oriat̄ febris. dicit enim: sunt nōnulli, qui atrā bilem febrē accēdere posse negāt: eo q̄ humor ille frigidus sit natura atq; siccus, neq; vel tantillum in se contineat, neq; caloris, neq; humoris, quæ sunt putredinis quasi cōceptacula. neq; vero mirādum, atrebilarium humorem nō putrescere: & oriri tamen inde febrem. Sed certe de-

Enchiridion medicinae.

bili ratione vincitur Tralianus. si enim quæ Galenus dicit secundo de differentiis febrium annotasset: non enarratae rationi fidem subrogaret. dicit enim Galenus: in omnibus humoribus humidum prevalere elementum. quod si in atra bile humidum praevaleret elementum: non est, ut opinetur quis, eam tam siccam esse quam putrefieri non possit. Sed antequam ad alia progrediar: notandum est circa illud quod ex Aetio citavi. quod Galenus decimo methodi docens quomodo aliqui in invasione accessionis sunt nutriendi, ponit modum generationis febrium, quas diximus Aetium absque putredine esse ortas, dixisse: in capitis titulo iam citati. Ex dictis tamen Galeni non potest plane discerni, huiusmodi febres absque putredine esse ortas: maxime quod in nono methodi praeter diarias & putridas & hecticas nullum febrium dicit esse genus. quod si in titulo capitis Aetij non reperiretur de febribus quæ in siccis temperaturis sunt citra putrefactionem: ex ijs quæ in capite dicit, nemo posset convinci: quod hæc febres non sunt putridæ. sed mirandum esset, si putridæ essent: cur a febribus biliosis putridis discerneret. sed ijs iam dimissis nos ad aliam ex assignatis differentiam transeamus: quæ de febribus putridis est. porro Galenus libro de crisi-

bus dicit: q̄ tria sunt omnia quę ex humorū putredine febrium accenduntur genera: ex flaua scilicet bile, & ex atra, & pituita. hinc oritur antiqua sed nondum finita disputatio: an ex sanguine putrido possit nasci febris. videbis Auicenam increpantem Galenum. videbis multos taxantes Auicenam: q̄ Galenum non intellexerit. mille videbis nodos, enigmata videbis mille. quid Galenus senserit, nondum diffinio, scio ante Galenum fuisse, qui denegauerit: ex sanguine putrido accendi febrem. nempe Alexander aphrodiseus sectione quarta problemate octagesimo quinto negat, ex sanguine putrido febrem oriri. omnes arabes oppositum profitentur: & ex gręcis dimisso nunc Alexandro & Galeno, omnes video asserentes febrem esse, quę ex sanguinis putredine accendatur. nempe Paulus & Aetius caput proprium faciūt sinochi ex putredine. Galenum etiam videbis in multis locis hoc genus febrium non repudiantē. in libro enim sexto de morbis vulgaribus cōmentario primo, & nono methodi, febris ex putrido sanguine ortę memoriam facit. Sed quia hanc quodāmodo biliosam esse dicit secūdo libro de crisi bus: ob id in alijs locis hoc genus febris nō exprimit, dicens autem Galenus quodāmodo esse

Enchiridion medicinae.

biliosam: non negat, q̄ cum sanguis putrefit, fit sanguis. & sic parū Auicena probat. si enim Galenus vellet, absolute & in principio quo sanguis putret, biliosę esse naturę hanc febrem: nō diceret, quodammodo esse biliosam, sed biliosam absolute. quia autem sanguis (vt ibidem dicit Galenus citissime) cum putrefit, in alios trāfit humores: non mirū q̄ cito degeneret. nec febris quę sinochus putrida dicitur, ex solo sanguine pendet: sed tunc accidit, vbi in omnibus vasis maximis potissimum quæ circa alas & inguina existunt, equabiliter omnes putrescūt humores. & quia calor accēsus in bile acutior & mordacior est q̄ calor accensus in reliquis humoribus: non mirum, quod hęc febris dicatur biliosa. Sed iam hæctenus disputationem mislam faciamus: obiter & per trāsenam (vt aiunt) hæc dixi. si vellem implere membranas, facile possem: citando multa, quæ de hac materia multi dixerunt: & eorum dissona dicta refellendo. sed alienum est hoc: ab eo quod decreui instituto. Ad alia igitur vertendo stilum, dico: quod febris putrida partitur in cōtinuam & in intermittentem. nunc febrem continentem dimittamus: quę ex sanguine habet ortū, de qua iam diximus. Febris autē continua fit, vbi vnus

dūtaxat humor intra venas putrescit: quæ quia
anteq̄ soluta fuerit, ad infebriationem nō de
finit: ob id dicitur continua . eius autē tres sunt 3. sp̄s
 species: prout tres sunt humores, qui in venis
 putrescunt, vtraq; scilicet bilis & pituita. febris
 à bile flava pendens dicitur tertiana continua.
 vel febris ardens. vel causus. Auicena ponit dif-
 crimen inter tertianam continuā & febrem ar-
 dentem: penes hoc quod in febre ardēte sit ma-
 ior incensio. sed maius & minus nō variant spe-
 ciem. Cęsar optatus in quęstione quam fecit de
 febre sanguinis, dicit: quod sola illa febris est
 causus, quę pēdet ex sanguine putrido. sed cō-
 tra optatum in multis locis est Galenus, in secū-
 do libro de crisibus dicit, febrem ardentem &
 tertianam in eodem humore cōmunicari. & in
 libro primo de morbis vulgaribus cōmentario
 secundo dicit: ardentes febres sunt, cū in venis
 abundat flava bilis & præcipue iocinoris & ven-
 tris. & huiuscemodi auctoritates mille reperies,
 quod si cęsar dicit, q̄ tunc fit febris ardens: cum
 flava bilis genita ex sanguine putrido in venis
 abūdat: dicat mihi, cū procreatur febris ex bile
 existēte in venis nō genita ex sanguinis putredi-
 ne quomodo vocat̄ a Galeno? Sed quid potest
 dicere iste optatus? cum Hipocratres^m cōmenta-

} rio quarto de ratione victus, causum fieri ait: cū
 venulę tempore estiuo exsiccatę acres & bilio-
 fas & quę tenues sunt, trahunt ad se humidita-
 tes. Ex hac auctoritate perspicue elicitur: nō si-
 nochū putridam causum vocare Hipocratem.
 dicit etiā Galenus in eadem parte: q̄ in vna cor-
 poris parte potest fieri causum, qui sitim nō pa-
 rit: sinochus autē quando in omnibus vasis ma-
 ximis accidit, putredo fit. Sed dimittamus iam
 istum auctorem: qui in eadē quęstione causam
 putredinis esse frigiditatem concedit: in quo ab
 omnibus classicis auctoribus deciscit. dimitto
 Aristotelē: videat q̄ dicit Gale. xj. metho. quod
 putredinis natura est mutatio totius substantiæ
 a calido externo. quod frigiditas debilitādo ca-
lorem natium, causa sit peraccidens putredi-
 nis, nemo diffitetur: sed quod sit causa per se,
 quis potest fateri? porro causum verū ex flaua
 bile oriri diximus: nam causus spurius ex pitui-
 ta falsa potest habere ortum. vt dicit Hipocra-
 tes & Galenus cōmētario quarto de ratione vi-
 ctus. causus autem remissionem habet: vt dicit
 Aetius proprio cap. licet quidam hoc negēt. ne
 remissionem habet in paribus: vt quidā somnia-
 runt. cum enim bilis in imparibus moueatur, in
 imparibus magis exacerbat: qui enim mouetur

humor, magis effumat. si enim in imparibus maiorem haberet remissionem, in paribus haberet iudicari. tempore enim maioris afflictionis iudicant morbi: vt dicit Galenus. j. libro de diebus decretorijs & multis alijs locis . in paribus autē raro iudicatur causus: sudores quippe qui sunt in imparibus, laudat Hipocrates quarto aphorismorum libro: nō qui sunt in paribus. sed hæc tōsoribus sunt nota. Taceat igitur Leonhartus, qui quarto aphorismorum apho. xliij. dicit, febres ardētes secūdo die esse validiores . Ceterū dicamus iā aliqua de huius febris medella . dubitāt medici, an in causo sit detrahendus sanguis. Conciliator differētia. cxv. dicit: q̄ nō est detrahendus. cui sententię vidētur astipulari Paulus & Aetius & Alexāder tralianus: qui de curatio-
ne huius febris tractantes, nunq̄ venę sectionis meminerunt. Galenus autem videtur nos facere audaces in secanda vena. quippe qui vndecimo methodi dicit, saluberrimū esse in febribus venam incidere: non continuis modo verum etiā alijs omnibus, quas putrescens humor cōcitat. primo etiā libro de arte curatiua ad glauconē, in continuis febribus sanguinē mittere monet. Hipocrates etiam quarto cōmentario de ratione victus in acutis morbis, sanguinem detrahe-

re iubet: si vehemens videatur morbus, florueritq; ætas, & virium adfuerit robur. cum igitur causus sit morbus acutus vehemens: consequitur, si alia non reluctantur, sanguinis missione egere. in febre etiã ardente in primo libro aphorismorum aphorismo vigesimo tertio Galenus multum laudat sanguinis missionem effatu dignissimam. Si omnia hæc voluerunt ij medicine parentes: non est, cur repudietur venę sectio, in ijs qui febre ardente laborant: dūmodo adfuerit robur, consenseritq; ætas. Si ijs dictis fidem subrogas, non denegabis phrenitide captis sanguinis detractionem: quippe morbus acutus vehemens est. sed de ijs inferius. proxima febre ardenti est tertiana intermittens: quia in eodē humore cōmunicat. multi sunt, qui nō volunt aggredi curationem febris tertianę: priusquã tres accessiones prætereant. sed qui ista differunt merito sunt ridendi: qui præter hoc q; nulli rationi innituntur, deciscunt a decretis Galeni. qui libro primo artis curatiuę ad Glauconē citra interuallum monet admouenda esse auxilia. satis diuerse ab ijs sentit Ioannes manardus: qui prima epistola decimitertij libri dicit, ante concoctionem esse vacuandam bilem producentē febrem tertianar: quia turgentium modo agita-

tur, & de loco in locum mutatur. sed sane hæc
 agitatio non sufficiens est, vt ex ea vocetur hu-
 mor turgens: alias omnes humores producen-
 tes febres intermittentes dicerentur turgentes.
certa lege mouetur bilis in intermittente tertia
na de internis ad externa: humor autem turgēs
sine ordine mouetur, periculum minatur: quia
 ex membro ad membrum decurrens potest ex
 ignobili ad nobile moueri. quod si turgeret in
 ipsa prima accessione nō expectata die quietis,
 esset euacuanda. insinuat etiam Manardus, in
 omnibus febribus ardētibus intra initia esse va-
 cuandum. sed cum possit esse febris ardens sine
 humorum turgentia, non vndequaq; verum est
 suum dictum. porro tertianarū pulsus magnos
 veloces atq; frequētes esse dicit Galenus ad glau-
 conem primo libro: quod videtur contrarium
ijs quæ dicit cōmentario de typis. vbi dicit, pul-
 sus tertiana laborātibus exiguus & frequens su-
 peruenit. in eodem libro dicit, pulsum magnum
 comitari febrem quotidianā. & in libro de arte
 curatiua iam citato dicit, quotidianarū pulsus
 minores sunt pulsibus quartanarum, q̄ istarum
 pulsus pulsibus tertianarum. pro prima contra-
 rietate diluenda dicemus: quod Galenus dicens
 libro de typis, quod tertiana laborantibus exi-

222
 pulsus

guus superuenit pulsus, intelligit hoc in primo
insultu accessionis, cum adhuc riget eger: nō in-
 telligit, cum iam febris peruenit ad augmētum.
 vbi notum est, quod propter magnam euētatio-
 nis necessitatem pulsus debēt esse magni. asserere
 mus etiam, quod quotidianarum pulsus dicitur
 magnus eorum raritati comparatus. posset etiā
 quis tueri: quod pulsus in principio accessionis
 febris quotidianę seruata proportione non ve-
 nit ad tantam paruitatem, sicut pulsus tertianę
 & quartanę. itaq; quod magis excedit magnitu-
 do pulsus quę est in augmēto & statu tertianę,
 paruitatem quę est in principio eiusdem acces-
 sionis: q̄ magnitudo quę est in augmento & sta-
 tu accessionis tertianę, superat paruitatem, quę
 est in eiusdem accessionis principio. sed hæc vē-
 ditantibus quæstiones dimittamus. ex dictis cla-
 ret horum inutilem esse laborem: qui dubitant,
 quis pulsus sit minor quartanę an quotidianę.
 constat hos infutiliter laborare: cum expresse
 dicat Galenus libro de arte curatiua, multo mi-
 nores esse pulsus quotidianarum q̄ quartanarū.
 dicet forsan aliquis, cui quę ego dixi applau-
 dūt: quod in augmento & consistentia minores
 sunt pulsus quotidianarum q̄ quartanarum, in
 principio non itidē. quod si minores sunt, quia

non tantum exceduntur à pulsibus, qui sunt in
 consistentia, q̄ quantum pulsus qui sunt in prin-
 cipio accessionis quartanæ, relinquuntur à pulsi-
 bus qui sunt in eius vigore: ob id ab aliquibus
 auctoribus dictum fuisse, pulsus quotidianæ es-
 se maiores q̄ quartanæ. sed iã de ijs multa. porro
 annotandum est, quod tertiana intermittens est
 duplex, vera. & spuria. tertiana vera (vt dixi-
 mus) ex bile flava habet ortum. tertiana spuria
ex flava bile mixta pituite. hæc in longum tēpus
solet extendi (vt dicit Galenus libro de arte cu-
 ratiua ad glauconem) tertiana autem exquisita
in septē circuitibus iudicatur. quod longissimū
 est: vt dicit hipocrates quarto libro aphorismo
rum aphorismo quinquagesimo nono. quē lō-
 cum exponēs Galenus, inter alia dicit: quod est
 obseruatum, tum in quartanis tum etiam in ter-
 tianis fieri iudicationem secundum numerū cir-
cuitum. ex omnibus ijs elicitur, febrē intermit-
tentem posse iudicari. crassum est hoc corrola-
 rium. sed illud posui: quia dicit Gentilis prima
 quarti. capi. de curatione quotidianæ, quod ex
 quodam textu quem ibi ponit Auicena, accipit
 Dinus: quod in intermittentibus potest esse cri-
 sis. qui etiam subiungit, nos autem hanc dubita-
 tionem reputauimus vilem, & non cadentē hic.

non notatis Dini annotationem, & Gentilis expeditionem: vile est ignorare, quod intermittentes possint iudicari: cum Hipocrates & Galenus parte citata illud fateatur, & tertio libro de cri-
 fibus Galenus & multis alijs locis hanc inuesti-
 gationem non dimittat. ceterum de febre quar-
 tana dicamus, quae duplex est: continua, & inter-
 mittens. continua autem raro inuenitur: vt dicit
 Galenus secundo de differentijs febrium, inter-
 mittens autem sepe solet inuadere. quae licet om-
 nem etatem inuadat, praecipue tamen inclinata:
 vt dicit Aetius sermone primo secunde partis.
 qui dicit, Hipocratem libro de septenario vigo-
 ris aetate hac febre frequentius corripit. qui asse-
 ruit etiam, eundem hominem non bis quartana
 febrem incidere: experientia tamen oppositum
 monstrat. ratio etiam dicitur: quod qui ex quar-
 tana melancholicum habitum acquirere, quod
 quartanae febris sunt magis obnoxij, quam antequam
 quartana essent occupati. diuturnus morbus est
 hic: qui merito a quodam medico dicitur est me-
 dicorum opprobrium. ex sua natura longus est:
 sed longior fit praua egrotantium viuendi ratio-
 ne, quam esset, si egroti recte se gubernarent. vix mor-
 bus est, in quo plus egri delinquant quam in quarta-
 na. nepe receptum a vulgaribus est, quod edere ad

4. fe.
 l. 1.

ma
 Distin
 119

fatietatem eorum quæ palato sapiunt, extirpat
 quartanā. indocti etiam medici solent hūc mor-
 bum exacerbare: qui intra initia aggrediuntur
 eius curationem subductiuis potionibus, quos
 acriter taxat galenus primo libro ad glauconē:
 dicens, ab initio mediocriter ac leniter quarta-
 nam esse tractandam: nullum forte medicamen-
 tum aut euacuationem exhibentes, errant insuper,
 qui intra initia exhibēt theriacam vel decoctio-
 nes multum calfacientes: quos à Galeno etiā no-
 tatos parte citata videbis. atq; est execrabilis er-
 ror eorum, qui sine delectu omnes quartanas si-
 militer tractant. videbis multos ex toto vitupe-
 rantes sanguinis missionem, non aduertentes, q̄
 Galenus sanguinē detrahēre iubet: vbi sanguis
superabundans appareat, multi etiam arbitran-
 tur semper calfacientibus esse auerruncandam:
 qui à veritate multum deciscunt. si enim ex san-
 guinis vel flauę bilis adustione habet ortum: ca-
 lescentia medicamina quæ vim habent aduren-
 di, admodum officiunt. quare generatim nō est
 acceptandum, quod dicit Aristoteles prima se-
 ctiōe problematum problemate septuagesimo
 septimo. q̄ scilicet in quartanis febribus mul-
 tus ignis in corpore est accendendus: vt quod
 exiguum febris cōtinet, restringatur, in eadem

Enchiridion medicinæ.

partē laudat Aristoteles balnea pro febris quar-
tanę medella: sed Galenus parte citata nō ea cō-
mēdat. & quod admiratione dignum est, quod
Aristoteles qua die accessio instat, lauādum mo-
net: licet contrario modo Conciliator illum ex-
ponat. at qui in principio & augmento lauat fe-
briētes, magnopere peccat: vt dicit Galenus de
cimo methodi. nec ante vacuationē balneo est
vtendum: vt dicit cōmentario tertio de ratione
victus. in qua parte dicit, quod si febris oriatur
propter falsam pituitam, aduersissimū esse bal-
neum: quia nimis crassus est humor, qui per cu-
tim euacuari nō potest. quod si hanc rationem
perpendis, videbis quartana laborantibus non
esse vtile: si quidem ex nimis crasso humore ha-
bet ortum, nota hoc pro problemate Aristote-
lis iam citato, sed iam quod iuuat. elicitor ex di-
ctis Galeni, quod in febre in qua iuuat, facta cō-
coctione magis iuuabit. signum autem quod in
quartana humor sit concoctus, dicunt quidam,
ex eo sumi: quod rigor & frigus augetur. hoc
dicit Gentilis prima quarti tractatu secundo. ca-
pi. sexagesimo quarto, esse ex sententia cōmēta-
toris in epedimijs: quod multum approbat. sed
in hoc deciscit à Galeno: qui sexto de morbis
vulgaribus cōmentario primo dicit, si non re-

signa
vntio
nis q.
no

mittantur rigores, fieri non potest, ut ad consistētiā perueniant quartanę. nec obstat, quod secundo de crisibus dicit. quartana febris non primo statim die cum rigore inuadit vehemēti: nam progrediente ipsa atq; aucta vna etiam rigor augetur. quippe concedimus, quod intra inītia cum nullam adhuc cōcoctionem recepit, quod remissi sunt rigores: quia tarde mouetur humor. cum hoc tamen conuenit, quod in statu vbi per concoctionē frigiditas humoris est refracta, & ipse humor nature factus familiaris, q̄ remissiores rigores fient. diu est, quod nos expectant febres ex pituita ortę: quę cū non simplex sit pituitę species, ita nō vna dumtaxat est pituitosę febris forma. nempe oritur febris ex pituita salsa, quę causum nothū producere diximus. oritur ex putrefactione pituitę dulcis, quę si intra venas est, gignit febrem cōtinuam: si autem extra, intermittētem. ex pituita etiam vitrea solet nasci febris, quę si partim putrefit, partim non putrefit: epialam solet gignere. porro solet fieri rigor à pituita vitrea, quem nō sequitur febris. multi sunt, qui non discernentes rigorem à palpitatione arbitrātur rigorem esse, vbi rigor non adest. memini me vidisse per magnificū dominū dominū Georgium de beteta Numantina

Enchiridion medicinae.

arcis praesidem, virum ingenij viuacitate & literis munitum, biliosae naturae sed iam ad melancholicam vergentis: qui cum flatulenta vel hippochondriaca melancholia laboret, & ratione flatulenta materiae sex annos habeat palpitationem absque subsequente febre: dixere illi multi medici, habere rigorem ex pituita vitrea. cum nil magis alienum a sua temperatura sit, quam hanc pituitam gignere. & quod sex annos illam gigneret, & frigiditatem notabilem nunquam sentiret cum rigore illo: certe esset mirabile. Caeterum notandum est, quod in quotidiana febre de ventriculo est habenda sollicitudo: ut dicit Galenus primo libro artis curatiuae ad glauconem. Circa hoc tamen multi medici deerrant: qui volentes ventriculo subuenire, exhibent pastillos de absintio vel id genus medicamenta styptica: quae cum non possint pituitam quae est in ventriculo vacuare, ipsam in penitioribus ventriculi partibus intrmittunt non sine egrotantium magno incommodo. esset igitur nimis consentaneum, quod eo die quo eger euomuit, translatis quatuor vel sex horis a vomitu similibus medicamentis utaris. tunc enim non est timor, quae haec medicamenta pituitam in ventriculo reperient. De semitertiana nil habeo quid dicam, nisi quod Galenus libro primo de

morbis vulgaribus cōmentario tertio ad integritatem eam venire non dicit: cum libro de typis contrarium fuerit professus. hoc alijs enodā dum dimitto. de pestilēti febre quę etiam putrida est teste Galeno primo de differen. febrium, antequā de febribus habitualibus tēpestiuū est aliqua dicere. porro multi sunt, qui dicunt: pestis vniuersalem causam esse aerem, & nullatenus aquam posse esse. fundamentum sumunt, ex ijs quę dicit Aristote. octauo de natura animalium. cap. xix. qui dicit: morbus pestilens nullus incidere piscibus vniuersis videtur. sed sane ex hoc non elicitur, quod vitiosę aquę potus non possit gignere morbum pestilētem. quod aqua putrida nō facit in piscibus, potest facere in hominibus. Auerr. enim decimo octauo cap. quarti libri pestilentiam ex aquę corruptione oriri fatetur. dicit etiā Galenus primo de morbis vulgaribus cōmentario primo, haustum aquę infectę efficere epidemiam. Pestis autem teste Galeno cōmētario primo de ratione victus in morbis acutis, epidemia est pernitiōsa. quod autem haustum vitiosę aquę epidemiam pernitiōsam gignere possit: nemo est, qui possit diffiteri. vt tamen dicta & dicenda magis illucescāt: est notandum, qđ epidemia vel morbus vniuersalis te-

Enchiridion medicinae.

Iste Galeno cōmētario. j. de ratione victus est, cū
morbus in tempore anni aliquo vel regione ali
qua abundat, insolescitq; pestis autem est, cum
multi fiunt vno tempore morbi, sed perniciosi:
ita vt pestis sit epidemia perniosa. Ex ijs inno-
tescit error Gentilis & Herculani nescientium
distinguere pestem ab epidemia. cap. primo de
pestilenti febre. Elicitur secundo cōtra omnes
neotericos, quod pestis bene potest esse citra fe-
brem, & quod in plus se extendit pestis q̄ febris
pestilens, si enim pestis est epidemia perniosa,
multi morbi autem perniciosi possunt vno tem-
pore fieri sine febre infestantes: relinquitur er-
go, posse esse pestem citra febrem. quod morbi
perniciosi vno tempore citra febrem possint in-
festare: flebile experimentum hoc anno mille-
simo quingentesimo quadagesimo octauo mē-
se augusti non sine mortaliū magno discrimine
mōstrauit. horresco dicere, sed omnibus patefa-
ciā: quinto die huius mensis tanta fuit aeris cali-
go, tonitruaq; tanta: quod nescio, quis nō expa-
uesceret in populo, quo ego degebam. admodū
grandinauit, tanta fuit grandinum multitudo,
quod ferme omnes fructus periere: quę super-
erant, tantopere sunt vitiati, aquaq; tantopere
infecta, quod intra paucos dies epidemia inua-

fit. quam perniciosam ego merito appellitabo: licet citra febrem esset. erat enim intestinorum difficultas non mitis sed acerrima: quæ multos vno tempore corripuit. quam cur perniciosum morbum non appellabis? quod si hunc morbum pestem vocas: patet, quod ex vitiosæ aquæ hau-
stu posse gigni pestilens morbus. quod si vt inte-
stinorum difficultas inuasit, inuasisset febris pe-
stilens: cur eras denegaturus, quod ex vitiosa a-
qua febris pestilens possit oriri? Sed sistamus pa-
ruper hic pedē. ingens fuit in hoc populo ma-
lū, quod ex hoc procelloso aere emanauit: sed
apud aliquos populos huic confines fuit ingen-
tissimum. si quidem tāta fuit inundatio aquarū,
quod eos ferme depopulata est. dimitto, quan-
tam iniuriam passi sunt bene culti agri: quos fer-
me exterminauit. sed eo vnde deflexit sermo, re-
grediamur. dico, q̄ ex ijs quæ ex Galeno citauim-
us: elicitor, pestem posse esse citra febrem:
quod corroboratur ijs, quæ dicit tertio de mor-
bis vulgaribus cōmentario tertio. cū dicit: mor-
tales vel citra febrem pestis corripit. aliqui di-
cūt, quod textus est deprauatus: & quod debet
dicere, citra pestem febris corripit. sed si iam di-
cta acceptamus, nihil mendosum est in textu.
quomodocunq; tamen sit, solum de pestilēti fe-

Enchiridion medicinae.

bre in hac parte nos tractamus: quæ non caloris intensione homines iugulat, sed praua humoris qualitate. solet enim contingere, vt dicit Galenus secundo de crisibus: quod debiles & parua febres quandoq; sint valde malignæ, & alia calidæ atq; incedentes nihil habeant nonnunquam periculosum. Ceterum ad anteuertendum hunc morbum propotissima rufi in magno precio habent. quod sic descriptum reperi a paulo secundo libro. cap. trigesimo sexto. ex aloe partibus duabus, amonici thimiamatis partibus duabus, myrrhæ parte vna, hæc simul cõtusa ex vino fragrati esse coluenda dicit. Ex ijs quæ dicit Paulus, detegitur medicorum vulgatissimus error: qui has pillulas non cum ammoniaco sed croco parare iubent. excusari tamen possunt: quia crocus medicamen est putrefactioni multum renitens: vt dicit Gal. viij. medica. localium. Ex dictis etiam innotescit, esse medicorum friuolam questionem, qui dubitant, an vinum possit purgantibus medicamentis misceri. patet, hoc non denegasse paulum: nec ratio huic sententiæ refragatur: nec defuere, qui dixerunt: non ex myrrha has pillulas esse parandas, sed ex herba myrrhis a Dioscoride nuncupata. sed cum Paulus myrrhã dicat, myrrhaq; sit putredini obnoxium phar-

macum: non est, cur dubitemus myrrham esse ponendam. Caterum dubitant medici, an medicamenta purgātia sint exhibenda ijs, qui iam pestilēti febre laborāt. Paulus parte citata summe laudat hęc cathapotia, quę diximus ruphi: quę non solū ad anteuertendum malū sed ad curandam iam instantem febrem exhibet. Aetius etiā dicit: quod bona est peste laborantibus per vrinas purgatio & quęcunq; alię. hoc dicit de mēte ruphi sermone primo secundę partis cap. nonagesimo quinto. Ex quo elicitur, purgationem quę fit per aluum, nō repudiare. huius sententię est Auerr. qui septimo libro suorum collectanorū. cap. trigesimo secundo dicit loquēs de febre pestilēti, quę cōmittatur carbunculū. in hac febre non sufficit medicina vnum tātum purgans humorē, sed medicina omnes purgans humores: sicut pillule cochij. Contra hoc videtur Cornelius celsus, qui tertio libro. cap. septimo dicit: in pestilēti febre minime vtile est: aut fame aut medicamentis vti, aut ducere aluum. Hęc sentētiā edisserit Leonhartus fuchsius primo libro aphorismorum aphorismo vigesimo tertio, dicens in febre pestilentiali naturę motus vniuersus ad cutē est: quapropter hunc medicus per ea quę sudorē eliciunt, adiuuabit. vni

Enchiridion medicinæ.

ecce autem cauebit, ne per aluum vacuet: quod ijs motus nature instituto ex diametro pugnet: vt pote que venenatos humores non per alium sed cutem potius excernere studeat. sane Leonhartus imbecilliter suam sententiam munit: nam ex sua ratione sequitur, quod quando natura studeat venenatos humores per aluum excernere, quod medicamen purgatorium est exhibendum. natura autem sepe humores per aluum euacuat in pestilenti febre: quam medicus imitando, non est, cur timeat, aliquando febre pestilenti captos subductiuus medicamentis purgare. quod tantum abest, vt timeat eruditissimus manardus: quod in prima epistola decimi tertij libri intra initia non expectata concoctione monet euacuare, qui pestilenti febre laborant. si enim corpus multis humoribus est refertum, quod medicamina sudores elicientia officiant: quis nisi qui a limine medicinam salutauit, non nouit? agitando enim humores, ad principales partes eos decurri erunt in causa. Taceat igitur Leonhartus, & non in vniuersum laudet medicamenta sudores mouentia: & penitus repudiet subductiua pharmaca. Glebam armeniam laudat galenus hoc modo correptis, que potius sudores compescit: iuuat tamen, quia venenose qualitati opponitur. aquam abunde

frigidam exhibet Aetius citata parte nō ad citā dos sudores, sed ad enecandam humoris prauā qualitatem. Iuuabit igitur purgās medicamen, humores prauos exinaniens, & ex corpore eua cuans. opitulabuntur etiam medicinę cientes su dores suo tempore adhibite. falsum est tamen, q̄ ijs solis hic morbus possit auerruncari. Cor nelius etiam huic sententię parte citata suffra gatur. qui dicit: si puer est, qui laborat: ducenda est aluus. dicit etiam, quod vomitu purgetur pe ste correptus. constat enim, quod in euacuatio ne quę fit per vomitum, humores de internis ad externa non trahuntur. parum infra dicit, par cius in hoc morbo q̄ in alijs agendum est: nō fa cile sanguinem mittere, non facile soluere aluū. in quibus verbis claret, non ex toto repudiare alui solutionem. & in hac parte exponit, quę an tea dixerat. sed sufficiant iam dicta. de theriaca dicamus aliqua: quę huic grassanti morbo est aduersissima: delinquūt tamē multi in eius vsu, nō seruātes quę Galenus monet libro de theria ca ad pisonem. vbi dicit, in pueris omnino hoc medicamētū esse vitādū. hodie i vsu est, ad quas cūq; puerorum egritudines illud exhibere. mo net etiā Galenus: vt statu aeris nimis calido non sumatur: pauci sunt tamen, cui hęc aduertunt.

Enchiridion medicinæ.

opportunitum igitur erit, quod si pestilenti febre captis tunc exhibetur, ex aqua stillatitia frigide facultatis exhibeatur mixtis medicamentis frigidis, quæ venenorum naturæ aduersentur, quæ lia sunt armenia, bolus, & semen acetosæ. quod si buboni pestilenti hanc antidotum admoues: non minorem opem feres, quàm si deuoradam eam exhibeas. hoc elicitur ex ijs, quæ dicit Galenus citato lib. vbi dicit: theriaca extrinsecus posita & epota rabiosorum moribus opitulatur. neque hoc negauit Gentilis quinto canone: licet disputando contra hoc aliqua in medium produxerit argumeta. Errat igitur Leonhartus fuchsius suo tractatu de peste: qui dicit, Gentilem dixisse theriacam non esse imponendam bubonibus. nunc parum theriacæ viribus est fidendum: quia iuxta Andromachi doctrinam paratam non inuenies. Finito iam de febribus putridis sermone, tempestiuum est, de hæcticis febribus aliqua dicere, breuiter tamen me expediam, solum duo vel tria notabo, quorum indagatio disputantes solet vexare. quorum primum est: quod hæctica potest incipi non præcedente febre putrida. exaratum hoc reliquit Galenus primo de differentijs febrium. loquens enim de febris hæcticæ causis, dicit: atque vna quidem à nobis exposita est earum

febrium generatio. reliqua autem est, cum statim ab initio inuaserint similem primum sui ortum ephemeris facientes. aut ex tristitia, aut ira, aut lassitudine nimia vna cum solis feruore contracta. notent hæc medici, & amplius nõ dubitabunt: an hectica possit fieri incipiendo. (eorum more loquor) secundum quod notandũ venit, est quod licet multi teneãt, q̄ semper est maior calor in hecticis febribus q̄ in putridis: q̄ hoc est alienum ab ijs, quę primo de differentijs febrium dicit Galenus. vbi dicit: in hecticis febribus neq; multa occurrit caliditas: pulsusq; tãto minores rariores ac tardiores sunt, ijs qui febribus sinochis appellatis existunt: quanto etiã caliditas minor existit. Tertium quod est annotatione dignum, est. quod licet quidam cõtendãt, aquam agonisticę esse præbendam febre hectica correptis: hoc neutiquã esse seruãdum. dicit enim galenus nono methodi: hecticę febres nec perinde eam quę prorsus sit gelida nec multam desiderãt: ceu quę extenuatis omnino exiguiq; sanguinis corporibus incidant. Quartum annotare non grauabor: quod circa rationem victus egri multum delinquunt: quippe ad satietatem comedunt. cum iuxta Galeni sententiam primo libro aphorismorum quę multo tempore sunt

Enchiridion medicinae.

extenuata corpora: segniter reficere oportet. sed hoc ex medicorum incuria euenit: qui egrotos non recte gubernant. medici etiam qui hac febre occupatos nimis extenuatos vident: ad reficiendos illos medicamenta cordialia nuncupata propinant, quæ quomodo illi parant, exficcandi habent vim. quippe quæ componuntur ex gëmis, sacharo rosaceo, santalis coralifve. at id genus medicamenta ipse in humoralibus febribus nõ probarem, necdum in hectica: humectare eos conuenit, non exficcare. quod si roborare cor exoptas, cibarijs humectantibus multum sufficientibus alimentum id efficies. neq; ad roborandum cor multum adstringentia medicamenta requiruntur, vt ex vndecimo methodi elucescit: licet multi medici nisi medicamentis multum adstringentibus illud roborare nõ tētent. quæ præter hoc quod exsiccant, in febribus humoralibus aliud inferunt incommodum: nempe vias obstruunt, humoresq; stipant, vnde minus vacuationi obediunt. sed quis non videt? q; in omni febre humorali si medicus considerat virtutem esse imbecillem, licet sit per humorũ multitudinẽ: ilico releuare suis cordialibus medicamentis egrotum curat.

TERTIVM CAPVT.

QUORDINEM Quem Razes in nono al-
mansoris seruauit amplectentes, de capi-
tis dolore priusquã de reliquis egritudi-
nibus offert se nobis indagatio. sub compedio
igitur hic aliquot inferemus annotationes, ad
reliquas egritudines suo ordine trãseuntes. por-
ro caput facillime dolore afficitur: & vix mem-
brũ est, quod frequẽtius corripatur. quia enim
sursum est, vapores facile recipit, qui multa sibi
pariunt damna. atq; si Platoni in thimeo credi-
mus: idcirco caput facile afficitur, quia imbecil-
liter est constructum. dicit enim, natura ex ne-
cessitate genita atq; nutrita nullo modo os com-
pactum carnemq; multam simul & acutum sen-
sum admittit. maxime namq; omnium ea capitis
compositio habuisset, si vna concurrere potuis-
sent. Genusq; hominum pingue neruosum robu-
stumq; habens caput vitam duplam possedisset.
cæterum nostris illis fabricatoribus de nostro
genere consultantes, vtrum quidem diuturnius
sed deterius, an breuioris quidẽ vitę sed melio-
ris efficerent: visum fuit, vitam breuem melio-
remq; diuturnę & deteriori esse anteponẽdam.
itaq; caput osse raro texere: sed carnibus ner-
uisq; quia fluxiones nõ erat habiturũ nõ fulciue

Enchiridion medicinae.

runt. ijs omnibus de causis caput membris omnibus acutius ad sentiendum prudentiusq; sed imbecillius est constitutum. hæc dicit Plato. quibus non vult subrogare fidem Aristoteles: qui secundo de partibus animalium capi. decimo suppresso Platonis nomine que iam diximus, taxat. porro si Aristotelis dicta expendis, videbis illum noluisse eos esse hebetioris ingenij, quibus caput est carnosius. omnes tamen neoterici medici explicantes problema Aristotelis, vbi dicit, habentes caput paruum esse prudentiores: hoc Aristoteli ascribunt. cæterum dolor teste Gale. secundo de locis affectis tristis sensus est. à Cicerone secundo libro tusculanarum quaestionum sic diffinitur. dolor est motus asper in corpore à sensibus alienus. atq; quia in nullo sensu potest fieri tam asper motus, sicut in sensu tactus: ob id maximè dolores sensui tactus contingunt, licet omnibus sensibus dolor sit communis: vt dicit Galenus libro de simpthomatum differentijs. quælibet autem res quæ motum asperum a sensibus alienum potest producere, potest gignere dolorem. & quia inequalis intemperies huiusce modi motum potest efficere, dolorẽ creare potest. vt dicit Galenus duodecimo methodi. & libro de inequali intemperie. cæterum membra

quæ sensu carent doloris sunt expertia: vt ex dictis facile elucescit. sic cerebrū doloris esse immune, qui Auicene sunt addicti fatentur: siquidem omnes ij sensu carere cerebrū proclamāt. sed contra hos videtur esse Galenus: qui libro de multitudine dicit, ossa quædam & pinguedo & adenes nōnulli nullo sensu prædita sunt: nisi forte & omnes medullæ ex sensus expertium numero sint. cerebrum tamen spinalis medulla inter ea censentur, quæ sensum obtinent. hæc dicit Galenus. contra hoc tamen videtur illud, quod dicit primo libro de simpthomatum causis. vbi dicit, sentiens organum à natura conditum, cerebrum non est: sed quod ea quæ sentiant, sentire potest. dictis aliquis non volens contraire dicit, quod in hac auctoritate solum voluit Galenus, quod cerebrum non est sentiens organum. idest non est vnū ex quinque sensorijs, sed est membrum à quo omnes sensus virtutem recipiunt. quod si ijs quæ Galenus citato libro profitetur consonat, tu speculari. porro Ioannes farnelius quinto libro de naturali parte inter alia quibus impellitur ad credendum, vis tactiuam non à cerebro sed à meningibus emanare: est quia credit, cerebrum sensus esse immune. sed sane esto quod cerebrum non sentiat, gignere potest ani

Enchiridion medicinae.

males spiritus, qui reliquis membris vim sentiendi præstabunt: si ad sentiendum congruam sunt nacti temperaturam. cæterum pro medella doloris capitis considera: quod Galenus secundo libro pharmacorum secundum locos, cum capitis dolor ex ardore est ortus, rosaceo probe appurato quod frigidissimo caput perfundere iubet, lanæ fasciculo in orbem circumposito iuxta frontem quidem, ubi pilosa eius pars definit, iuxta vero utrumque eius latus ubi pili ipsi ad aures necuntur, exinde vero post verticem. inquit enim quod hoc auxilium siue humorum siue vaporum multitudo in caput impetum faciat, præclare auxiliatur. hæc dicit Galenus. ex quibus elicitor, non solum fronti ut nunc fit, esse admouenda epithemata, sed ad verticem usque esse extendenda. quod si in dolore capitis tantam capitis partem linit Galenus ad repellendos vapores: consentaneum est, quod si phrenitidis periculum instaret, non solum frontem liniret, ut nunc est ex usu. Cæterum annotandum est, quod in magno sunt usu cathapotia de hiera simplici ad medendum capitis doloribus: quia tamē crocus caput percellit, decet aliquando, dosim croci qui in eorum compositionem ingreditur minuere. ut dicit Galenus libro secundo de compositione phar

macorum secundum locos. & Aetius sermone secundo secundae partis. capi. quadragesimo quinto. pauci sunt tamen qui ad haec aduertunt: sed etiam ad tollendum capitis dolorem frequenter vtuntur pillulis dictis comunibus. quae quo modo illi parant, magnam quantitatem habet croci, & habet etiam multum myrrhae: quae ab Aetio sermone secundo secundae partis. capi. quadragesimo sexto inter pharmaca numeratur, quae inducunt capitis dolorem. nec solum ipsam myrrham, sed myrrhae odorem capitis dolorem cedere dicit Galenus secundo libro de medicamentis locilibus. cum autem nimis inueteratus est capitis dolor: solent multi laudare cauterium, quod fit in futura: quod non laudat Mattheus capi. de dolore capitis. qui in suum patrocinium potest aduocare Alexandrum tralianum: qui libro primo capi. vigesimo primo, plus supplitij quam auxiliij patienti conferre cauterium dicit. de morbo comitiali loquitur Alexander. sed qui in tam seua egritudine qualis epilepsia est, non audet adhibere cauterium: credendum est, quod in mitiore qualis capitis dolor est, non adhiberet. experientia tamen monstrauit, multis comitiali morbo correptis cauterium contulisse.

Enchiridion medicinae.

¶ DE VERTIGINE.

SOLENT Medici, magnū ponere discrimen inter vertiginem & scotomiam. qui magnopere ridentur à Manardo septimo libro epistola tertia. qui dicit, scotomia & vertigō significato nullo euariant: sed quod græci scotoma à tenebra, latini vertiginē à vorticibus aquarum vocant. vtrūq; ijs qui hoc affectu vexantur contingit. porro circa huius morbi medellam vnum præcipue annotandum est: quod ab arabibus medicis annotatum non video. quod si vertigo ex ijs fuerit, quæ sanguinis missionem exoptant: quod nō aceruatim est detrahendus: eo quod ex qualibet occasione concidunt hac ægritudine detenti. quare pluribus detractionibus ex quibusdam interuallis vten-tes, congruam mēsuram explebimus. exaratum hoc nobis reliquit Aetius sermone secundo secundæ partis. capi. septimo.

¶ DE PHRENITIDE.

PHRENITIS Galeno teste. ij. libro de simpthomatum causis, non tātum ex calidis ortum habet succis, sed supra id etiam phlemonē in cerebro & eius inuolucris

excitat. Aetius sermone secundo secundæ partis. cap. secūdo, inflātionem membranarum cerebri cum febre acute dicit esse phrenitidem. & parum infra facit caput de cerebri inflātionē: aliudq; de heresipelate cerebri. vnde constat Aetium solum vocare phrenitidem mēbranarum cerebri inflātionem, non ipsius cerebri phlemonem. Paulus tertio libro. cap. sexto dicit, phrenitis est paniculorum cerebri inflātio nunc quidem ipso cerebro pariter inflāto. Postq̄ de phrenitide abūde tractauit, ponit caput de phlemonē cerebri, aliudq; de cerebri heresipelate. si autē phrenitis cerebri phlemon est: non est, cur caput phlemonis cerebri distinguatur a phrenitidis capite. Galenus (vt iā diximus) phlemonem quod est involucris & cerebro, phrenitidem appellat. forsan citati auctores velaminum cerebri inflātionē siue sola fit, siue ex ea oriatur inflātio in cerebro, phrenitidem vocāt. quando autem inflātio in ipso cerebro incipit, distincto vocabulo phlemonem vocarunt. hoc consonat, ijs quę ex paulo citauimus. qui dicit, phrenitidē esse paniculorū cerebri inflātionē nūc quidē ipso cerebro pariter inflāto. videtur etiā, hoc consonare ijs quę dicit galenus quarto libro de cau

Enchiridion medicinae.

sis pulsuū. vbi dicit, lethargus ex ipso potius cerebro gignitur, phrenitis præcipue ex tenui meninge. vbi insinuat, proprie tenuis meningis phrenitidem esse affectum, a biliosoq; humore habere ortum. Ex omnibus ijs quæ diximus, fit palā: cerebro posse incidere inflammationem & heresipelam iuxta Galeni & Aetij Pauliq; decreta. Errat ergo Matthæus, qui cap. de phrenitide in Auicennam inuehitur: qui fecit caput de heresipelate cerebri. cum non solum Auicena hoc voluit, sed prestantiores medici qui illum precefferunt. Iam de curatione huius egritudinis aliqua dicamus. porro discordia est inter Gentilē & Matthæum, an in omni phrenitide decens sit sanguinem mittere. breuitati studens, dimitto quæ illi dicunt. & iuxta Hipocratis & galeni doctrinam dico: quod quādoquidem hic morbus est magnus, quod si ætas est florida, & viriū robur, aeris temperie non reluctante sanguinē de trahere decet. iuxta ea quæ dicit Hippo. cōmentario quarto de ratione victus: quod in morbis acutis vehementibus sanguis est mittendus, si est virium robur, ætasq; floruerit. In mille etiā locis dicit Galenus, quod propter morbi magnitudinem licet non adfuerit plenitudo, est vena secāda. morbus autem magnus phrenitis est

& tã acutus: quod si statim primo die vna cū febre inuadit, intra septimum diem pernecat. vt elicatur ex ijs, quę dicit Galenns libro de morbis vulgaribus commentario tertio. suo etiam tēpore competit exhibere subductiuum pharmacum phrenitide captis. neq; est, cur verearis propinare rhabarbarū, vt matthęus formidat. nempe catharctica quę calfaciendi maiorē habent vim, exhibent auctores: neq; eorum caliditatem tantum timent. Ceterum an aqua gelida abunde sit phreneticis exhibenda, aliqui dubitant. sed qui eius vsum laudant, videant Paulū & Alexandrum: qui cap. de phrenitide eos vituperant, qui aquam gelidā phreneticis exhibent. Dubitatum etiā videbis ab aliquibus: an in loco lucido debent decumbere phrenitici. video Paulum dicentem, q̄ decumbat phreniticus in loco tum luce tum temperie mediocriter disposito, & diuersis imaginum picturis distincto. sed circa hoc illud quod dicit Aetius cap. de phrenitide est obseruandum: scilicet quod qui ad lucem efferuntur, in tenebricosa domo decumbāt. qui vero ad lucis splēdorem respiscunt, in lucida domo degāt. quod etiam monuit Cornelius celsus tertio libro. cap. decimo octauo. vbi dicit, Asclepiades tanq̄ tenebris ipsis terrentibus

Enchiridion medicinæ.

in lumine phreneticos habendos esse dixit. neutrum tamē perpetuum est: alium enim lux aliū tenebræ magis turbant. nō igitur in vniuersum acceptes, quæ Paulus dixit: quæ iuxta Asclepiadis sententiā sunt tradita.

¶ DE APOPLEXIA.

CVM Apoplexia morbus acutissimus sit, & supersedere in eiusmodi malū est (vt dicit Hipocrates quarto libro aphorismorum) ob id nō est, cur illis acquiescamus, qui curationem differre monent. Paulus namq; Aetius, & Cornelius celsus, nec per horā curationem differunt. seuisimum est hoc malū, quo atrocius nullum: quippe quantumlibet leue sit, nō facile curatur: vt in sententijs Hipocrates prodidit. sic solet egrotū vexare: quod licet nondū efflauerit animā, mortui notas præferebat. & multi sunt visi iam deplorati, qui ab hoc se extricauerunt morbo. propter quod iure merito monet Auicena, vt non sepeliantur: donec septuaginta & duę transeant horę: ab hora qua mortuos illos iudicamus. Cuius mensurę causam Gentilis fatetur rationem non posse inueniri. Cōciliator dicit, q̄ quia intra tertium diem om

nes humores euentantur: ob id est spectandum, usquequo nulla sit nobis suspitio, quod aliquis qui non fuerit motus restauerit humor. sed cum vnam difficultatem vult Conciliator enodare: multas implicat, & tandem questionem non absoluit. sufficiat nobis dicere, quod Haliabas & Auicena considerarunt: quod si virtutes conatum assumentes intra tres dies hunc morbum non ablegauerint, quod proculdubio eger succubuit. primus enim dies criticus est, ad quem respicientes hec dixerunt. & admirari mihi subit: cur graecorum nullus cautos nos fecit circa hoc, quod isti Arabes annotarunt, quod sane non est aspernatum dignum. Ultimo notandum est, quod apoplexie causa frigidus ac crassus humor est: vt dicit Galenus quarto de locis affectis. dicit enim, soporis & morbi comitialis, & apoplexie, frigidus ac crassus aut omnino viscidus humor causa est. verum & in sopore & morbo comitiali ventres magis, cerebri corpus minus: in apoplexia vero corpus magis affici solet. si hac dicit Galenus: vide, an creditu dignum sit, quod multi dicunt, ab humoribus calidis posse oriri apoplexiam. videbis namque Antonium musam vigesimo quarto aphorismo secundi libri dicentem: potest fieri apoplexia ab humoribus calidis, raro

Enchiridion medicinæ.

tamē . licet cōtrariū voluere Paulus & Aetius
nō attendit Musa, quod etiam contrariū voluit
Galenus in iam citata auctoritate . ex qua elici-
tur, deerrare Gentilem, qui innixus cuidam au-
toritati Auicene. cap. de lethargo dicit, lethar-
gus vt plurimum fit de flemate penetrāte in cō-
missuris cerebri (flema enim non penetrat sub-
stantiam cerebri) cum concauitatē penetrat, fa-
cit epilepsiam vel apoplexiam. hęc dicit Genti-
lis, quę non sunt consona auctoritati Galeni. in
qua habetur, quod in apoplexia magis afficitur
corpus cerebri q̄ ventres.

¶ DE CARO.

SOMNVS cum secundū naturam est,
vna est ex sex rebus naturalibus: cū exce-
dit, iam præter naturā est. excessus enim
in quantitate naturalium causarum & non na-
turalium deciscunt ad statum præter naturam:
vt dicit Galenus libello de pulsibus ad tyrones.
circa quod obiter nota, Galenum aliquādo cau-
sas non naturales vocasse. hęc in medium prom-
psi, quia quondam vidi magnam disertationē:
an ante Auicena quis hoc vocabulo fuerit vsus:
claret enim, Galenum parte citata hoc vocabu-

um vsurpasse, nec nō tertio libro de causis pul-
uum. sed hanc quæstionē missam faciamus, quæ
de nomine solū est. huiuscemodi autem nos lō-
ge valere iubere Galenus in mille locis monuit.
omni autem causam frigiditatem esse Aristote-
les libro de somno & vigilia capi. tertio profite-
tur. at Gale. primo de simpthomatū causis, quia
balnea & vinum humiditate implent, dicit som-
num inducere, & tandem omne alimentum hu-
midum dicit somnum ciere. quod si humiditas
sola somnum potest creare: non est, cur tantum
citato loco inuigilet Aristoteles, indagādo quo-
modo vinum quod temperamenti calidi est, est
soporiferum. quia enim humectans est, sopori-
ferum esse dixit Galenus primo de simpthoma-
tum causis, & tertio de locis affectis. multi autē
disceptāt indagātes, quæ sit potior causa somni
naturalis, frigiditas an humiditas. sane cōsiderā-
do quod qui sunt humidi & calidi tēperamēti,
sunt magis somno dediti, q̄ qui sicci & frigidi
tēperamēti sunt: videtur humiditatē esse potio-
rem causam. quis non videt pueros somniculo-
sos, & senes nimis vigilantes. tempore etiam hu-
mido licet sit aeris calida temperies? mulcebres
veniunt somni. quomodo cūq; tamen sit, quæ ca-
lida & sicca sunt, vigiliās inducunt: vt tertio de

Enchiridion medicinæ.

locis dicit Galenus. ob quod consideratu dignum
est, quod dicit Dioscorides capi. de aloë, quod
somnia inducit. cuius dicti non immemor Rur-
zes primo continentis. capi. duodecimo dicit
non debet quis uti aloë in cura lethargi: quia
eius virtus inducit subet. cuius dicta multum ap-
probans Mattheus gradi. capi. de lethargo, eos
vituperat, qui exhibent hieram in lethargo. sed
certe licet verum sit, quod aloë somnum inducat
non est, cur vereatur exhibere hieram. siquidem
calorifica medicamenta quæ sunt in hiera, sunt
potentiora ad inducendas vigilias, quàm aloë sola
ad faciendum somnum. pari ratione nos diceremus,
theriacam veterem somnum inducere: quia ha-
bet opium. at quia vis opij à medicamentis cali-
dis est retusa, & prævalent pharmaca calida, po-
tius vigilias quàm somnum inducit. si de cathapotijs
ruphi hoc diceret Mattheus, apparentius vide-
retur loqui. siquidem multum habet aloës, quæ
ut diximus, iuxta Dioscoridis sententiam som-
num inducit: multum etiam habet myrrhæ, quæ
eodem auctore teste soporem gignit. si omnia
hæc quæ ex Dioscoridis officina depræpsimus,
coniectas: dubitabis forsitan, an verum sit, quod
Galenus dicit secundo de locis. scilicet quod omnes
soporosi affectus à causa frigida proueniunt.

quippe aloë exsiccat in tertio, calfacit in primo
 Galeno teste sexto de simplicium medicamēto
 rum facultatibus. myrrha etiam abūde calfacit.
 omnia hæc mihi cōtemplanti visum est dicere:
 quod aloë & myrrha ex sua natura vigilias in-
 ducunt, ex accidēti tamen solēt soporem gigne-
 re. quippe attenuando pituitosos humores, &
 quodammodo eliquando, sunt in causa, vt cere-
 brum humectetur: consequēterq; vt somnus in-
 ducatur, eo nempe modo quo in ijs qui pituita
 abundant, phœbei radij solent somnum ciere:
 ad hæc etiam aloë humores mouēdo, est causa,
 vt ad caput effument, ex quo somnus prouenit.
 & hac de causa postquam quis medicamentum
 purgatorium ebiberit, in somnū irritatur. quod
 si ob id aloë dicitur somnum ciere: non est, cur
 quis vereatur caro vel lethargo captis medica-
 menta exhibere, quæ aloës habeant. multū siqui-
 dem de per se exsiccando, & humores vacuādo,
 potius vigilias inducent q̄ somnum. quod si ob
 id quod ex accidēti somnum possunt inducere,
 ea exhibere formidas: ferme nulla reperies me-
 dicamenta purgantia, quæ propinare audeas. ali-
 qui forsan dicēt, quod ex qualitate occulta hæc
 medicamenta sunt soporifera. & non mireris, si
 hæc audis: quia legi apud Gētilem, piretrum ex

Enchiridion medicinæ.

qualitate occulta stupefacere. sed certe ego hæc non auderem dicere. quod qui ista dicunt, Galeno aduersentur, tu potes videre: qui in parte citata & secundo de temperamentis omnes soporosos affectus à causa frigida prouenire asserit. nec de aloe tractans, eam pharmacum soporiferum esse ait. sed iam nos ad alia stillū vertamus. Porro totis viribus est conandum: vt qui caro corripuntur, à somno excitentur. quippe licet dormientibus nobis non solū in ventre, sed in tota animalis mole perfectior fit concoctio (vt dicit Galenus primo libro de simpthomatū causis) tum quia vigilię digerunt (vt dicit Galenus duodecimo methodi) ob id vigilię sunt inducēdę. at non defuerunt, qui dixerunt: quod tempore somni non fit perfectior cōcoctio in cerebro q̄ tempore vigilię: propter quod dicūt, huiusce modi affectibus vigilię magis iuuare ad concoctionem q̄ somnus. sed contra hoc expressa est auctoritas Galeni iam citata primi libri de simpthomatū causis. hæc dixi, quia in summa thomę de garuo vidi quãdam disputationem inter Thomã & Dinum. qui igitur hoc morbo occupatis ex toto somnum denegant, plane decerrāt, & deciscunt ab ijs quæ duodecimo methodi dicit galenus. sed quis poterit à somno penitus co-

ercere eos, quos hic morbus detinet: cū in somnum sint tam propensi? sed quia de somno hic multa diximus: de somnijs nonnulla subnotare non erit inutile. Est igitur cōsideratione dignū: quod Aristote. libro de somno & vigilia capi. septimo dicit, quod contingit in somnijs futura p̄gnosci. vbi dicit, quod indoctis inertibus & fatuis potius q̄ prudētibus futura p̄uidere cōtingit: quia illis est magis ab externis mens deoccupata, cogitationumq; vacua. quippe prudētium & philosophorum plenus est animus. circa quod nota: quod vt dicit Plato in thimeo, qui diuinandi vim habent, dicuntur vates. qui autem vaticinia quæ obscuris voluminibus inuoluuntur enarrant, dicuntur prophete. ij autē sunt acerrimi ingenij, vt parte citata dicit Aristo. cuius dicta & Platonis si expendis: videbis, quod etiam si inertibus & fatuis contingat potius futura in somnijs prouidere q̄ sapiētibus: quod sapientes melius erunt somniorum cōiectores & quodāmodo p̄phete. hæc annotare libuit, quia in meo libello philosophico cū de somnijs tractarem, fui pollicitatus dicta Aristo. dilucidare: quibus illustrandis magnam opem Plato nobis intulit. ex quibus liquido elicitur, pharaonem mereri dici vatē, Iosephum autem prophetam.

MORBVS Hic multa sortitur nomina. cōmitialis appellatur, quia cōmitia dissoluebantur: si quē hic cum fiebant, corripiebat morbus. herculanus etiam nūcupatur, non quod eo Hercules vexaretur (vt quidā dicunt) sed (vt dicit Gale. sexto de morbis vulgaribus cōmētario sexto) ob eius seuitiam. magnitudinē enim morbi significantes, aliqui hoc nomen effinxerunt. sacer etiam ab aliquibus dicitur: sed falsa opinione esse deceptos, qui sic illū vocarūt, dicit Galenus citata parte. forsan hoc dicit aduersus Platonem: qui in thimeo idcirco epilepsiam sacrum morbum dici edisserit, quia sacram occupat partē. cui dicto alludit Aristoteles trigesima tertia sectione problematū. vbi dicit, sternutamentum haberi sacrum quia capitis est, quę est pars sacra. secundum quod patet euidentis causa, ob quam sit consuetudo sternutantes salutare: quam capi. de epilepsia gentilis conat̄ aperire: longe tamen ab Aristotelica est, quam ille profert. secundum quod est in hoc capite notādum, est, quod Gentilis & multi alij dicunt, quod à qualitate sola nō potest gigni morbus cōmitialis: qui diffinito tempore per intervalla exacerbet, quę si ego sophistā vellē agere,

facile exploderē hoc nempe modo. ex decretis philosophicis est notū, quod in plenilunio magis humectatur cerebrum q̄ in nouilunio. si ergo ratione humiditatis in hoc plenilunio morbus cōmitialis quenquam inuasit, fieri poterit, quod si vsq; ad aliud plenilunium non incurrit morbum cōmitialem, quia nō tanta humiditas in cerebro est, quę hunc morbum valeat gignere: quod adueniēte plenilunio vbi intensior humiditas est, quod eundem hominem accessio cōmitialis morbi inuadat & in sequentibus plenilunijs similiter. ceterum annotatione est dignū, quod recitat Mattheus capi. de morbo cōmitiali, quosdā negare: quod à crure vbi nō est apostema, possit ascendere vapor morbum cōmitialem gignens. contra quos est Galenus tertio de locis affectis, exemplis illud probans. vbi dicit, humorē veneno similem in illa parte a qua ascēdit vapor, posse gigni. vellē ego, q̄ huius auctoritatis nō fuisset Mattheus immemor. quartum quod annotandum venit, est, quod multi sinapis vsum morbo cōmitiali correptis laudant: quod ab Alexandro traliano primo lib. capi. de morbo cōmitiali potuerunt ediscere. qui dicit, caro sinapi est obiter intingenda. sed cōtra hos est galenus libello de puero epileptico, sinapim

reprobans, eo q̄ caput tentat. quod si ob id est interdicens hoc morbo captis: videtur etiã esse inhibendam in ijs morbis, in quibus caput tentare discrimen est.

¶ MELANCHOLIA.

INGENS Est, quã melancholia occupatos concomitatur tristitia: quę non leue damnum est, siquidem Salomone teste exsiccat ossa. in cuius tristitię exhibenda causa non omnes conueniunt. quidam dicunt, Galenum voluisse melancholiam ratione sui temperamenti tristitię esse causam. Huius opinionis est Genti. capi. de melancholia, & Musa vigesimo tertio apho. sexti libri. sunt alij, qui asserunt ob nil aliud melancholiam producere tristitiã, q̄ quod suo atro calore animalium virium sedẽ obscurat. Huius opinionis est Manardus epistola secunda noni libri. quę sane opinio magis cõsentanea est q̄ prima, ijs quę dicit galenus tertio libro de locis, & Aetius sermone secundo secundę partis. capi. nono. porro pro hac auerruncanda egritudine multa cõmendantur ab auctori- bus medicamenta: inter quę est lapis armenius. sed multi non secus ac letale venenum illũ for-

midat propter dicta rabbi Moses in libro, que ad foldanum construxit, iam tamen in magno usu est. bene enim ablutum experiētia mōstrat iuuare multum, nihil vel parum officere. melan-
cholicis etiā iuuat aloe. dicit enim Paulus capi. de curatione melancholię, quod sunt purgandi epithimo vel aloe. ex quo elicitor cōtra Genti. quinto canone, aloe habere facultatem purgan-
di melācholicū humorem. cæterum solent pro ablegādo hoc morbo medici parare electuaria cordialia dicta ex vnionibus margaritisq; cōci-
nata. que cum admodum terrestris sint substan-
tię, nescio an aduersus tam terrestrem humorē possint opitulari: maxime quod seplasearij non ex electissimis hyacintis smerardisve hæc ele-
ctuaria construunt, sed ex fictitijs lapidibus. sed cum de affectibus cordis fiet mentio, longius hæc tractabuntur.

¶ DE PARALISI VEL ALTE-
rius lateris resolutione.

SOLVM HIC Vnum obiter annota-
bo: quod qui sulphurulentis balneis re-
solutione occupatos curare intendunt,
plane à maiorum decretis deciscūt. nempe Pau

Enchiridion medicinæ.

lus primo libro. capi. quinquagesimo secundo, de thermis sua spõte prouenientibus loquens, dicit, thermę quæ sulphuris vim habēt, neruos emolliunt, stomachum subuertunt. si igitur neruos emolliūt resolutione detēti, ab eis abstinere debent: siquidem nō neruos emollire, sed exficcare & indurare, in ijs conandum est. idem dicit Aetius sermone secundo primę partis, capi. centesimo sexagesimo septimo. taxandus est igitur Leonhartus fuchsius, qui in sua practica proprio cap. sulphurenta balnea laudat paraliticis.

¶ DE CONVULSIONE.

TRIPPLICEM Esse conuulsionis causam recentiores medici enarrant: Galenus tamen octauo libro de compositione pharmacorum secundum locos, solum duas enumerat. dicit enim, ego vero in conuulsione tertiam præter vacuationem & expletionē causam non reperi. hoc dicit Leonhartus fuchsius sexto libro aphorismorum aphorismo trigessimono nono, esse intelligendum de conuulsione, quę primogenium est malum. fatetur enim, quod est cōuulsio per cōsensum, vbi nimirū aliquid a parte primo male affecta ad cerebrum ipsū

transfertur. quod enim cum cerebrum ad se de-
 pellere conatur, conuulsorio motu concutitur:
 hanc speciem conuulsionis dicit eã esse, quã re-
 centiores vocant nō proportionatã ad materiã.
 hunc modũ cõuulsionis dicit cõtingere ijs, qui
 ab scorpio vel ab alia venenata fera icti sunt. sa-
 ne ego non video, cur hæc conuulsio nō sit pri-
 mogenium malum icti nerui. videtur potius ce-
 rebrum affici per cõsensum nerui, q̃ neruus per
 consensum cerebri. neruus enim ipse ictus absq̃
 hoc quod cerebrum lædatur, fugiens à re nocẽ-
 te contrahitur: conatur etiam depellere, quod
 sibi noxium est. & profecto de Galeno esset mi-
 randum (esto quod huiuscemodi conuulsio nō
 esset primogenium malum) cur diceret conuul-
 sionis duas esse causas: siquidem conuulsio quæ
 est per consensum, cõuulsio est. quod si conuul-
 sio est, non potest habere aliam causam præter
 repletionem & vacuationẽ. nō enim est moris
 Galeni solum causas egritudinis assignare, quæ
 primogenium est malũ. decentius igitur erit di-
 cere, quod cũ ob ictũ ferẽ venenosã neruus cõ-
 trahitur, quod fit cõuulsio, cuius causa reduci-
 tur ad repletionem. venenosus nempe humor
 quem ejaculata est fera, licet paucẽ quantitatis
 sit, tantum potest cõuellere neruũ, sicut mul-

Enchiridion medicinae.

ta quantitas humoris pituitosi . maxime q̄ ob
dolorem qui est in parte icta , multi confluunt
humores: qui in causa possunt esse conuulsionis
nerui icti. nec difficultate magna quis possit tue
ri: quod si post ictum non oriatur inflammatio,
vel multi humores confluant, quod nō eueniet
cōuulsio: & hoc est minus consonum ijs, quę di
cit Galenus sexto methodi . & iuxta hęc aperie
mus causam: ob quam nonnunq̄ ex ictu ferę ve
nenosæ solet proficisci conuulsio , & sepe non
solet. dicemus, quod si qui icitur, repletionem
habet: paratus est ad incurrēdam conuulsionē
ob multam humorum affluentiam: contra qui
non habet repletionem . Secūdo notādum est:
quod pro curanda cōuulsione quę ex repletio
ne fit, multi medici laudant, vt febris excitetur.
hoc enim dicunt voluisse Hipocratem aphoris
mo vigesimo sexto secūdi libri, quos acriter ar
guunt Musa & Leonhartus cōmento eiusdem
aphorismi. Ego licet sciam eos deerrare, qui di
cūt Hipocratem prædicto aphorismo monere,
vt cōuulsione captis febris inducatur (quia Hi
pocrates hoc non innuit, nec Plato in thimeo,
cum dicit: subortę febres curant tensiones) cen
seo tamen esse rationi consentaneum, nonnunq̄
medicamētā exhibere, quę vim habeant calfa-

obciēdi humores: ex qua calfactione si oriatur fe-
 bris, poterit desperato morbo mederi. Dicit
 enim Hipocrates quinto aphorismorum apho-
 rismo quinto. quod si ebrius quispiam repente
 obmutuerit cōuulsione moritur: nisi febre cor-
 ripiatur, aut vbi ad horā peruenerit, qua soluū-
 tur crapulę, vocē recuperet. Si igitur febris vt
 plurimū solet esse huius prauę ægritudinis me-
 dicamen: non ab re medicus naturam imitando
calorifica medicamenta exhibebit, que humo-
 res possint accendere. nepe quod ægritudo mi-
 natur, mors est: nil morte maius medicamentis
 inducemus. nec cum hæc dico, volo, q̄ nostra
 intētio sit solum febrem inducere: sed aio, q̄ si
 ratione medicamentorum calfacentiū quæ ex-
 hibemus febris proficiscitur, quod nō est, cur
 vereamur illam induxisse. nec eruditissimus ma-
 nardus veritus est: quippe qui in annotationi-
 bus quas cōstruxit in composita mesue, loquēs
 de cōfectione anacardina dicit. hac perraro vti-
 mur, nisi ad prouocandam febrem in frigidiori
bus morbis. Tertio adnotādum est: q̄ nonnunq̄
 ij qui cōuulsione vel distentione laborant, ad
 sanitatem restituūtur per frigidaę aquę largam
 perfusionem: vt elicatur ex aphorismo vigesi-
 mo secundo, & vigesimo sexto quinquati libri. hæc

acriter arguit Paulus tertio lib. cap. vigesimo. & de eo mirandum est, quod irreuerenter Hipocratem tractet. sed sane cum impugnat Paulus, mununtur magis Hipocratis dicta: nam nullam rationem in medium promit. sed si sua auctoritate dicta veteris vult expugnare, fallit: quippe non est, qui auctoritate Hipocrati sit preferendus. ratio etiam & experimentum dicta Hipocratis corroborant. dimitto rationem, quae omnibus perspicua est. Dicit Sabanarola cap. de balneo aquae frigidae, quaedam conuulsione vel distentione correptum curasse aquae frigidae multa perfusione. si ratio & experimentum fauet Hipocrati: taceat aduersus diuinum Hipocratem Paulus. Quarto est notandum, quod quidam magnopere laudant, pro hac profliganda egritudine, ut membrum quod conuulsione detinetur, perfundatur saepe oleo tepido: & sic iubent, ut ponatur in vase oleo tepido pleno. at Galenus secundo libro de simplicium medicamentorum facultatibus dicit: neque conuulsiones neque tremores neque sensum tum difficilem tum deperditum magnopere iuuare oleum, aut ledere.

¶ DE LIPITVDINE.

LIPITVDO Morbus oculi est: est enim membranę adnatę inflāmatiō, de cuius curatione in medium aliqua promā, sed prius de oculis aliqua audite. porro perfectissimum sensoriū oculus est: cuius causa cerebrum in capite locatum esse Galenus octauo de vsu partium docet. vbi dicit, solū ad oculos neruos sensibiles habentes meatus venire, quos opticos appellant. ex quo elicitur lapsum esse Gentilem, qui tertia tertij. cap. primo dicit Galenus vult, quod neruus opticus nō sit concauus, sed via quasi sensibilis. Constat deerrasse Gentilem: cum citata parte & septimo de decretis oppositum profiteatur Galenus. porro nerui optici sic sunt constructi, vt spiritū animale cōtineant q̄ plurimum. quia autem inibi & in oculis spiritū plurima est copia, ob id non rigere oculum testatur Matthęus. cap. de optalmia. dicit enim à veritate decidere Iacobū: qui propter pinguedinem quā oculus habet, illum non rigere docuit. sed non attēdit Matthęus, quod hoc prius Aristoteles edocuerat: quippe qui trigesima prima sectione problemate vigesimo secundo ob id non rigere oculū ait, quia opimus est. Galenus tamē decimo de vsu partium dicit, nul

lius alterius gratia naturam pinguedinē circumfusam oculis comparasse, nisi quia oculum humectare possit. ex quo elicitur Galenum noluisse, ob id pinguedinem in oculis esse productā: ut eos a frigore tutos reddat. quod si non quia optimus oculus est, non riget: sufficiens causa, investiganda est. ego in meo philosophico libello dixi: non sufficere ad hoc quod non rigeat plurimus calor, qui ibi est: siquidem vigente bruma excellit aeris frigus oculi interno calori. Dicamus igitur cum Plinio, quod quia tunicis nimis calosis oculi sunt compositi, ob id aduersus frigus caloremve sunt nimis tuti: dicit enim. xj. libro. cap. trigesimo, septimo tenuibus multisque membranis oculos natura composuit callosis contra frigora caloresque in extremo tunicis. Galen. tamen undecimo de usu partium insitum calorem oculis, munimentum ad frigus dicit. sed dicamus callosas tunicas iuuare & calorem. duos porro naturae condidit oculos: ut si vni est illata iniuria, alter suo ministerio fungens homini adminiculetur. licet autem in ceteris dextra suis sinistris sint prestantiora: in oculis non sic contingit, ut dicit Aristoteles trigesima prima sectione problemate decimo octauo. dicit enim, equo modo videre potest atque dexter, sinister oculus.

Ex quo cōuincitur error Ioannis manardi: qui quarta epistola decimi quarti libri dicit, Aristotelem dixisse, fere in cūctis hominibus oculum dextrum esse sinistro imbecilliozem. sed sufficiant ista, quia de hac materia multa in meo libello dixi. Pro curatione autem lipitudinis est menti cōmendādus aphorismus Hipocratis trigessimus primus sexti libri: cuius series est. dolores oculorum meri potio, aut balneum, aut fomentum, aut medicamentum purgatorium soluit. meri potione eos sanare dolores dicit Galenus in cōmentarijs: qui ex abūdantia sanguinis crassioris in venulis oculorum circa plenitudinem totius corporis cōtenti procreantur. mitigat etiam vinum dolores oculorum ex obstructione orientes, & dolores qui ob frigiditatem cōcitātur: vt Galenus dicit sexto de morbis vulgaribus cōmentario sexto. vbi dicit, nō ieiuno sed ab assumpto cibo eum exhibuisse vinū. balneum autem cōuenit, vbi dolores ex acribus humoribus ad oculos fluentes, citra totius corporis plenitudinē sunt orti. omnia hæc nota: & videbis, quantum suis p̄lixis quæstionibus deciscat à mente Galeni Gentilis tertia tertij. vbi dicit, quod balneum est adhibendum, cū est materia grossa: & quod in omni materia cōducit. sed

Enchiridion medicinæ.

Auicena dedit illi errandi ansam: ex cuius dictis nō elicitur, quod ab assumpto cibo exhibeatur vinum. fomento autem est vtendum, ad discutiendū humores, vbi nihil fluit. porro fenogreci succus quia moderate calfacit, & viscositatē similē albo ouorum liquori habet, multos dolores mitigare consuevit: vt dicit Galenus quarto libro de compositione pharmacorum secundum locos. est tamen fenogrecum bis coquendum, cum eius decoctū est instillandū oculis: vt in prima coctione quicquid in se acre est abijciat. exaratum hoc videbis à Galeno libello de remedijs paratu facilibus. vbi etiam dicit, quod prius lauetur: à paucis tamen hoc obseruatū videbis. Ad resoluendū etiam humores cōtentos in oculis vtuntur medici pōpholige, & sarcocola. sed nisi in declinatione multum formidat Gētilis tertia terti pōpholigem, quia dicit esse mordacitiam. at Galenus quarto libro de compositione pharmacorum secundum locos, pōpholigem lotam mordacitatis esse expertem fatetur: ob quod dicit, ea vti ad tenues, & acres fluxiones: capite & vniuerso corpore prius vacuato. de sarcocola dicit Gentilis tertia tertij tract. primo, quod aliquando est nomen gumivsualis, & quod aliquando est nomen herbæ, quæ dicitur

argimone: vt dicit Dioscorides capi . de sarco-
cola. sane cum hæc cōtemplor, nō possum non
mirari, vidēs per quam tenebricosa loca præces-
sores ambulabāt: qui licet ingenij persp̄picacita-
te, memoriaq; fœcunda pollebāt, ob deprauata
exemplaria in multis sunt hallucinati. nō audi-
stis, quę de sarcocola dicit Gentilis, quę nec per
somnia dioscorides quem citat, dixit? sed par-
cendum illi est, qui sane prout illa ferebat ætas,
nō parum philosophiam & medicinam illustra-
uit. atq; notare nō te tēdeat, quod nictādo solē,
multi occecantur: vt dicit Gale. primo libro de
simpthomatum causis. licet autem hoc experiē-
tia videamus, frequentius tamen cōtingit, visu
orbari, qui in solem deficientem figunt intuitū.
vt enim dicit Plato lib. de anima . qui in delin-
quentem solem intuitum figunt, occecantur non
nunq̄, nisi in aqua imaginē eius aspiciant . quod
nō solum vi luminis est arbitrandū euenire, sed
prauo siderum influxu: alias multo facilius oc-
cearentur homines solem nō deficientem aspe-
ctantes. quod si praua siderum influxione fit, ta-
ceat Auerr. & quicumq; suę sunt factionis: qui di-
cunt, semper siderum influxus operari bonum.
Video tamen platonem in epinomi aperte dicē-
tem, astra nil mali operari, vbi ea esse animata,

illum differtare videbis: sed quid mirum, cū dialogo. vij. de legibus solem & lunam vocat magnos deos. sed de ijs alias.

¶ DE DOLORE AVRIS.

QVANDO Dolor auris ex inflammatione oboritur, iuxta Galeni decretum tertio de cōpositione pharmacorum secundum locos: nullum pharmacum dolore vexatis est infundēdum, neq; etiam per lanam instillandum. quia vt ille experientia se comprobatū refert, præstat, neq; omnino cōtingere doloris tēpore auditorium meatū, sed per auriculare specillum lana mollissima obuolutū dolore vexatos fouere. hæc dicit Galenus, quæ pauci sunt, qui obseruāt. omnes enim practicos videbis monentes, vt euacuatione facta, aliquid in auribus infundatur, vel instilletur. monet etiam in eodē libro Galenus, loquens de dolore auris ex frigiditate, vt quicquid tunc auribus adhibetur, sit mediocriter calidum. hoc quod dicit Galenus, tam late quidam sumunt, quod dicunt, quod in omni dolore auris quicquid adhibetur, sit calidum. sed Gale. non in omni dolore hoc monet. Ultimo notandum est, quod Plato in thimeo

(nescio qua ratione suffultus) voluit, pulsationem quæ dicitur auditus, in sedem iecoris definire. quod si iecur sensu pulsatur (vt ex auctoritate & ex ijs quæ parum supra dicit Plato, liquido elicitur) eo patet deerrare, qui arbitrantur Platonẽ velle, sic tripartito ordine esse diuisas animas: quod in iecore sola sit vegetatrix, in cerebroq; sola animalis, & in corde alia ab ijs distincta.

¶ DE DOLORE DENTIVM.

DENTES posse dolore affici, facile perpenditur ex ijs, quæ dicit Gale. quinto libro medicamentorũ localium. vbi dicit, non dolentem modo, sed etiam pulsantem dentem percepisse. Taceant ergo, qui dentẽ nõ posse pati dolorem cõtendunt. porro causam ob quam sine dentibus nascatur infans, aperte satis in meo libello philosophico aperui: non dedignabor tum dictis subiungere, quod merito ne dentes in tenerrima etate linguam secarent, sine dentibus nascitur infans. hæc in medium prompsi: quia mediusfidius iuro, quod vidi paulo ante quã hæc exararem duos infantes, quibus tantum erant primores dentes, qui quidem dentes linguam secuerunt, cum inter dormiendum lin

quam haberent exertam. Putandum est igitur, quod facilius hoc fieret in adhuc teneriori ætate, si infans omnes dentes haberet. cū ergo iam incipit oriri iudicium, oriuntur & dentes, vt tanto malo non detur occasio.

¶ DE SANGVINIS EX
naribus profluuiio.

CVM SANGVIS Profluuiū decre-
torium est, non est compescēdum: solet
namq; multarū egritudinum esse reme-
dium. quippe causo vexatis succurrit: vt quar-
to de ratione victus dicit Galenus. est etiā opti-
mum in pleuritide, non autem in peripneumo-
nia, vt elicitur ex ijs, quæ dicit Gale. libro tertio
de crisibus. Aetius tamen sermone quarto secū-
de partis capi. sexagesimo sexto, sanguinis eru-
ptione è naribus curari peripneumonicos fate-
tur: in sermone autem primo secūde partis cap.
quadragesimo octauo oppositū dissertat. dicit
enim, soluunt sepe sanguinis è naribus eruptio-
nes phrenitidem, non tamen lethargum, nec pe-
ripneumoniam. notandum secundo est, quod li-
cet sanguinis eruptiones multotiens soleant iu-
uare, vt dictum est, semper tamen sanguinis stil-

lationes sunt male (vt dicit Galenus quarto de ratione victus) maxime autem si sunt crasse, & nigre: vt ipsemet refert cōmentario tertio pro-rheticorum. vbi etiam dicit, quod ad sistendum fluxum sanguinis narium, humeralem recto tra-mite nari vnde sanguis abunde fluit, responden-tem secare oportet. hæc nota: nam paucos vide-bis, hæc venam ad compescendū sanguinis fluo-rem secare. solēt autem medici sine discrimine, ad sistendum hunc fluorem, caput refrigerare, adstringentiaq; medicamenta frōti admouere: quos acriter arguit Galenus quinto methodi. vbi dicit, vidimus enim quosdam eorum, qui ex pulmonibus sanguinem reijcerent, ex thorace refrigerādo manifeste lesos, & que vt qui sangui-nem vomuerunt, nōnullos quod venter foris es-set refrigeratus. eodem modo & eorum quibus ex naribus sanguis profluxit, aliqui ex capitis refrigeratiōe deterius habuerūt. ergo neq; om-nino nec sine discrimine nec omni tempore lo-ca que circa particulam vnde sanguis profluit, sunt posita, refrigerāda suaferim, immo postea quā in alia prius auerteris. vt exempli gratia in naso vbi sanguinis missiōe (vt diximus) fit vsus. hæc Galenus, que non oscitanter sunt legenda, sunt enim magna annotatiōe digna, licet à medi-

Enchiridion medicinæ.

cis parum obseruentur. cæterum inter medicamenta quæ aduersus sanguinis eruptiones commendantur, est menta: à Galeno enim approbatur quarto libro de compositione pharmacorum secundū locos. propter quod est mirandū, quod Aetius sermone secundo secundę partis, capi. nonagesimo quinto numerat mētā inter pharmaca, quæ vim habent eliciendi sanguinē ē naribus.

¶ DE ANGINA.

QMNES Celebres auctores monēt, vt si alia non obstiterint, sanguis angina captis mittatur. mittitur autē intra initia ex vena humeraria, quādo autem passio est diuturna, venas quæ sub lingua sunt incidere iubet Galenus secūdo libro ad glauconem. ex quo cōuincitur error multorum, qui nō vacuato vniuerso corpore has venas secare audent. non est igitur in hac parte subscribendum Alexandro traliano, qui primo libro monet, vt intra initia anginę primo die detrahatur sanguis ex sectiōe venarum sub lingua. porro circa sanguinis de- tractionem summe est notandum illud, quod dicit Aetius proprio cap. quod scilicet sanguis est

ca- detrahendus, parce non vsquequo animi defe-
om- ctio sequatur. subiūgit enim, citius ij animo lin-
ba- quūtur, & alias sane ex refrigerationibus & ani-
o- mi defectiōibus facile materia à faucibus ad
lū- pulmonem defertur. hæc nota, quia Auicena &
is, Razes tertio cōti. videntur laudare venę sectio-
er- nem vsq; ad animi defectiōem. ex dictis etiam
nē monemur, vt medicamēta quæ pro gargarisma-
tis exhibemus, non sint multum frigida, vel ad-
stringentia, ne humores ad pulmones depellāt.
patet ergo error Matthæi, qui proprio capi. di-
cit, in exhibēdo gargarismata adstringentia nō
t potest esse error. Secundo notandū est, q̄ ster-
a cus hyrūdinum à multis laudatur ad profligan-
a dum hūc morbum, ex quo emplastrum ab ipso
stercore nominatum componūt. Galenus tamē
t sexto libro de compositione pharmacorum se-
cundum locos, hyrundines ipsas cōmendat, &
Asclepiadem laudat, qui pharmacum quoddā
componens, pullos hyrundinum vri iusserit, &
non eorum retrimenta. Cornelius etiam celsus
quarto libro, hyrundinum pullos aduersus hūc
morbum nimis vtilis esse ait. vbi etiam dicit,
vulgo audio, si quis pullum hyrundinis ederit,
angina toto anno non periclitari. Tertio est no-
tandum, quod Galenus sexto de simplicium me-

Enchiridion medicinæ.

dicamentorum facultatibus, de peonia tractans dicit. quod si cōpluribus linis & maxime marinerę purpurę collo viperæ iniectis illis viperam præfoces, eaq; postea cuiuspiã collo obuincias, mirifice opitulaberis tum paristimijs, tum omnibus ijs quę in collo expullulant. Paulus tamẽ tertio libro capi. vigesimo sexto, solum videtur laudare linamentum ex ipsamet purpura. quorum dicta quidam aduertentes, nō memores eorum quæ ex Galeno citauimus, eos vituperant, quia alia linamenta collo obuinciunt, q̄ quę ex purpura sunt excerpta. Deerrant tamen isti: nã licet hæc maxime profint, alia linamenta etiã iuuant.

¶ DE TVSSI.

GALENVS Secundo libro de simplicium medicamentorum facultatibus inquit: naturam hominibus salutis gratia ingenitas indidisse passiones, sternutationẽ quidẽ, vt ea quæ in naribus infesta molestaq; sunt, propellerent, tussim vero, vt quæ in gutture. & quia salutis gratia tussim natura indidit, ob id accidens naturale vocatur à Galeno septimo libro aphorismorũ aphorismo quinquagesimo primo, ait enim, tussis accidens est ad expurgan

das pulmonis asperas arterias naturale. ex hijs auctoritatibus facile elicitor, fidelapsum esse Mattheum, qui capi. de tussi dicit Galenum voluisse, tussim esse passionem pectoris, & non pulmonis. constat Mattheum deerrasse, siquidem Gale. in ijs auctoritatibus passionem gutturis vel pulmonis esse dixit. cum guttur dicit, asperas etiam arterias intelligit: & cum asperas arterias, & guttur etiam intelligi vult. hac dico, quia in prima auctoritate videtur insinuare, tussim solum esse passionem gutturis. Concordant autem ijs ea, quae secundo libro de symptomatum causis dicit. vbi ait, causa tussis in pulmone & faucibus subsistit.

¶ DE ASTHIMATE.

RO Huius morbi medela singularis regula est adnotanda: quam etiam in omnibus morbis pectoris intellige. scilicet q̄ qui anhelatione laborat, supinus q̄ diutissime in ore teneat medicamentum. hoc elicitor ex ijs quae dicit Gale. quarto methodi. vbi dicit, ad vlcus quod in aspera sit arteria, supinus per magnum intervallum medicamentum in ore teneat, ac omnes qui illic sunt, musculos relaxet, remittatq; precipiē

Enchiridion medicinæ.

dum. influit enim sic sensim & paulatim de medicamento aliquid sensibiliter & manifeste in ipsam arteriam. hæc dicit Galenus. quæ nõ solũ sunt intelligēda, cum est vlcus in aspera materia, sed in omnibus morbis qui curari expectoratione exoptāt. Ex omnibus ijs fit palam error Matthæi de gradi, qui nono ad Almanforē cap. de sanguinis reiectione dicit: quod qui sumūt medicamēta lambēdo, debent se cōuerti ad anterius quasi resupini supra faciem iaciētes. quoniam canna stat anterius iacens supra meri. hæc sunt ipsissima Matthæi verba, quæ dicit esse ad mētem raze. qui cap. citato dicit: & patiēs supinus iacēs de terra sigillata aliquid paulatim comedat. sane raze potius est aduersus Matthæũ. non enim quis supinus aliquid ore tenere dicitur, quia caput habet versus terram flexum: sed quia est erecto vultu, nõ terram spectās sed cœlum. Sed nõ est, cur in hoc moram trahamus, siquidem ad explodēdum hunc errorem nõ solũ medici, sed qui à limine grammaticam tyrunculi salutarunt sufficiūt: in primis enim rudimentis ediscūt, quid vocabulum supinus significet. Si hæc cōtemplari tēdebat, illi notare liceret, q̄ Auicena decima tertij tractatu primo cap. iij. oppositum docet. cum dicit, electuaria veniunt

ad cannam & pulmonem, & proprie cū dormit
resupinus. Ceterum notandū est, quod pharma-
ca astmaticis conueniētia incidere debēt citra
vehementem calefactionē. vt enim Aetius dicit
sermone quarto secundæ partis cap. quinquage-
simo septimo, crassi & tenaces humores à vehe-
mēti calore viscosiores redduntur glutinosiq; &
vt difficulter auelli possint. hæc nota, quæ à pau-
cis medicinam practicam scribētibus aduertivi
deo. Video enim tam calorifica medicamenta
propinare, quod toto diametro Aetij cōsilio op-
pugnāt, necnō Galeni decreto. qui libello de at-
tenuate victus ratione monet, vt nō tātum inci-
datur, aut calefiant, quæ belle sputis sunt expe-
ctorāda, sed moderate etiam humectanda. ne tā-
dē siccata sputa ac lenta reddita tusses excitēt,
exitusq; violētia vas aliquod in ruptionis discri-
men adducatur. Eandē sentētiā insinuauit se-
ptimo libro de compositione pharmacorū se-
cūdum locos. vbi dicit, potus medicus fit in ijs,
qui alicubi abscessum habēt, multus cōtra, in ijs
quibus bronchia viscosis ac crassis humoribus
sunt obturata. humectatione enim egēt, quo fa-
cile efferatur. Si hæc notas, nō omnino appro-
babis medicamēta Asclepiadis & andromachi,
quæ in eodem libro recitat Galen. multa enim

Enchiridion medicinae.

eorum calidissime & admodum siccatis nature sunt. à multis tamẽ practicis ea commendata video: eorum tamẽ vsus nõ est tutus. Porro si quẽ Galenus & Aetius citatis locis dicunt, attendis, videbis etiam eos deerrare, qui hoc morbo captis vinum interdicut. vinum namq; tenuis substantia omnibus astmaticis ij auctores exhibendum monet. Fuit autem quorundam insana opinio, qui dicebant, quod astmatici inter comedendum ne utiquam debebãt bibere. sed tã rudis est, q; eam me recitare pœnitet: nemo enim est, qui eius nõ videat falsitatem. Ultimo est notandum quod Galenus vndecimo libro de simplicium medicamentorum facultatibus, vulpium pulmonẽ astmaticos iuuare ait. Celsus tamẽ quarto libro capi. quarto vulpium iecur laudat. experiẽtia tamen mōstrat vulpiũ pulmonẽ esse nimis pficuũ: hic est in communi vsu, quẽ etiã laudat Dioscorides. ij. lib. Videbis etiã, apud multos practicos vulpinã carnẽ laudari aduersus hunc morbum: hoc tamen classici authores non docent.

¶ DE PLEVRITIDE.



LEVRITIS (Galeno teste sexto libro aphorismorum aphorismo trigesima tertio) subcingentis membranæ est

inflāmatio. nō tamen per inflāmationem hic intellige phlemonem solum, latius enim hic sumitur: vt ex dictis Galeni elucescit. dicit enim Galenus parte citata, cum vnaquęq; inflāmatio ex alicuius humoris fiat superabundantia secundum eius naturam, & sputi species morbo laterali laborātibus aduenit. parum supra dixerat, quod si flaua ac rupha sunt sputa, ex biliosis humoribus ortum habet pleuritis. si sunt spumea, ex pituitosis. si sunt nigra, ex melācholicis. quę sunt rubea, ex ipso sanguine. omnia hęc dicit Galenus, quę clare mōstrant, illum voluisse ex quo libet humore posse oboriri pleuritidem. In libro etiā de cōstitutione artis medicę idem profitetur. vbi dicit, perniciosam pleuritidem esse, quę à melancholico humore proficiscitur. vbi videbis, illum vocare pleuritidem subcingētis costę phlemonē. latius tamē ibi significat phlemon, q̄ tumor præter naturam ex sanguine pronatus. Hęc quę diximus, de exquisita pleuritide sunt intelligenda, quam semper cōcomitatur febris. nam solet esse dolor in latere ex cruditatibus plurimis & cibus humoris crassi ortus, qui ab aliquibus pleuritis esse putatur, cum tamen nō sit. vt dicit Aetius sermone quarto secundę partis cap. sexagesimo septimo. Cæterum hunc

Enchiridion medicinæ.

dolorem nõ cõmitatur febris . cum autem verã pleuritis fit membri quod prope cor est inflammatiõ, nõ potest esse absq; febre. propter quod mirari subit, quod Alexander tralianus capi. de exquisita pleuritide insinuat, posse esse pleuriticum, quem nulla infestet febris. Ceterũ pro curanda pleuritide fomenta & venę sectio & purgatio iuuant . in secundo enim libro de ratione victus dicit Hipocrates. primũ calefactorijs tẽtandum vt dolorem soluamus: q; si dolor calefactorijs nõ soluitur , nõ oportet multo tempore calefacere. hęc Hipocrates. quibus innixus Manardus prima epistola decimi quarti libri eos reprobat, qui volunt calefactoria non ad curationem pertinere, sed ad tentationem. & sane iu remerito hęc dicit manardus, quę corroborare possumus ijs, quę dicit Galenus nono lib. de decretis. vbi dicit, ad medendum pleuritidi valere calefactoria . & si cõiectas quod Hipocrates & Galenus locis citatis tẽtant dolorem dissoluere solum fomentis calidis, videbis quantum deerrent, qui sine delectu in omni pleuritide sanguinem mittunt: nõ attendẽtes quod tam mitis potest esse pleuritis, quod solum calefactorijs potest profligari. de huiuscemodi autem pluritide fuit loquutus sexto de morbis vulgaribus com

mētario tertio Galenus. vbi dicit, cum morbus lateralis mitis admodum foret, necesse nō fuit venam secare. subiungit Galenus, ipse mitissime pleuritides sunt, vbi cruenta sputa eijciuntur. Quis est tamen qui ijs animum attendit? sed vt dixi, omnes citra discrimen in qualibet pleuritide sanguinem detrahunt. Porro si calefactorijs non tollitur dolor, ad venæ sectionem vel purgationem confugere docet Hipocrates citata parte. de qua autem vena sit mittendus sanguis, Galenus in commentario declarat. quod si in explicādis quę circa hoc sunt, varijs opinionibus immorarer, in immēsum cresceret noster libellus, & tandē nil vtile ego exararem. summatim tamē ego aliquot opiniones enarrabo, nō tamen explicationem subiūgam. Porro Arabes & eos sectantes ex parte aduersa sanguinem intra initia mitti iubent, auctores græci ex parte affecta: nō tamen omnes græci. nā Archigenes græcus erat, qui (vt recitat Aetius) ex aduerso latere sanguinem mittebat. inter sectātes græcos videbis magnam discertationem. quippe Manardus lib. duodecimo epistola. v. vult, quod ex parte aduersa mittatur sanguis. & dicit, quod Galenus & Hipocrates nulla alia ex causa in pleuritide eiusdem lateris sectionē præ

Enchiridion medicinæ.

ferunt, nisi quod per vnicam sectionem volunt sanguinem in inflammatione existētem cito è corpore extrahere. subiungit: hac igitur intētionē cessante quę hoc quo cessat, in hac nostra regione in qua nō adeo copiosis p̄pterea vtimur vacationibus, quod corpora nostra imbecilliora q̄ vt eas ferant inueniuntur. hęc dicit Manardus, quę parū videntur fulcita. errat enim, quia dicendo quod galenus solum ob hoc quod per vnā venę sectionem voluit extrahere sanguinem in inflammatione contentum, præfert venę sectionem eiusdem lateris. Constat in hoc labi: cū semper quod de venę sectione tractat, directionem laudat. & vt ex multis vnā auctōritatem recitem, dicit libro de ratione curandi per sanguinis missionem. quę pleuriticis è directo laborātis lateris adhibita fuit sanguinis missio, clarissimā attulit vtilitatē: quę vero ex brachio opposito, aut omnino obīcuram aut certe post tēporis interuallum. hoc dicit euenire Galenus directionis ratione, vt librum legenti erit perspicuum. nō etiam videtur bene suam sentētiā munire, dicendo quod quia corpora sunt imbecilliora, ob hoc nō ferunt copiosas vacationes: quia tam sufficiēs vacuatio erit homini huius quī missio duarum librarum sanguinis, si

euti hominibus robustissimis qui erant tempo-
 re Hipocratis & Galeni, extracto trium vel qua-
 tuor librarum. nolo ego dicere, quod tunc non
 erant aliqua corpora tam imbecillia, sicut nūc,
 sed dico, q̄ esto quod omnia essent robustiora,
 dicta Manardi nō sunt admittēda. nō enim sem-
 per euacuationes effatu dignissimas faciebat ga-
 lenus, aliquando minorem quantitatem sangui-
 nis extrahebat, quam nunc extrahere solemus:
 nimirum cū corpora inueniebat imbecillia. nō
 tamē reperitur, quod in ijs ex parte aduersa san-
 guinem mitteret. In eadem epistola dicit manar-
 dus, quod in pleuritide pestilenti perlōginqua
 est sanguis detrahēdus. vide quomodo sint mil-
 le hominum species. nam qui arabes sectantur,
 licet ex parte aduersa intra initia pleuritidis san-
 guinem mittant, excipiunt pleuritidem pestilē-
 tē, in qua ex parte affecta sanguinem detrahere
 monēt. porro in ijs quę ex Manardo citavi, mo-
 ram traxi, quia ea à multis medicis tantum non
 adorari vidi. ex neotericis autem gręcanica do-
 gmata sectantibus videbis, qui docēt: q̄ si pleu-
 ritis est lateris dextri, quod semper est ex bra-
 chio dextro mittendus sanguis: q̄ si est lateris
 sinistri, dicūt esse ex brachio sinistro sanguinē
 detrahēdum: si est in tribus costis superioribus

Enchiridion medicinæ.

dolor. quod si est in inferioribus alijs costis, ex brachio dextro sanguinem mittere volūt, hoc anathomica ratione probare intēdūt: vt videbis apud Leonhartum cōmentarijs libri Galeni de curandi ratione per sanguinis missionem. Vide quātus sit rerum discolor vsus, qui in sua apologia semper ex parte affecta esse sanguinē hauriendum docet. Sunt qui dicunt, quod intra initia semper vena maleoli est secanda: è quorū numero est Cęsar optatus venetus. ijs cōsentit Manardus epistola citata, quādo laborāti sunt suppressi mēses, vel hemorroidarum fluxus nō respōdet. sed missa istęc faciamus: nam de ijs est scriptus & in tergo & nondū finitus orestes. circa autem purgationem quę cum pharmaco fit, magna est inter medicos dissensio, & non inter quoscūq; sed inter maximates. nempe Hipocrates vult, quod si dolor vsq; ad præcordia perueniat, quod per inferna sunt purgandi pleuriticī. Galenus tamen formidans purgationumurbationem & molestiā, in qualibet pleuritide quę euacuatione curari habet, ad venę sectionē cōfugere docet: & hoc est, quod cōiter medici obseruant. Paulus tamē, & Alexāder, & Aetius, Hipocratis decretū docent. Inter recentiores etiā videbis opiniones varias. quidam volunt, quod

aliquando purgentur pleuritici, sed præter cassiam vel mannam nullum medicamentum exhibere audent. quidam dicunt, quod detur rhabarbari infusio, & non ipsum rhabarbarum. Manardus dicit, quod tuto potest exhiberi rhabarbarum. ait enim, partem adstrictoriam eius plus iuuare corroborando pectus, quam officere constringendo. sed si in enarrandis opinionibus occupor, multiloquus ero. ego quando purgatione eget pleuriticus, & est robustus, non formido propinare cathartica, quæ potentius quam rhabarbarum euacuet. multos agricolas vides, quibus cassia vel rhabarbaro alius nequaquam subducitur. quod si medicamentis effrenibus Hipocrates aliquando purgabat pleuriticos, qui non maiori robore pollebant, cur nos qui magis retusa habemus purgantia medicamenta, formidaturi sumus necessitate urgente ea porrigere? sepe enim cessat lateris dolor febre adhuc urgente, vbi maiori purgatione eger eget, quam quæ cum cassia fieri poterit. ad quamcumque tamen euacuationem siue sit per venæ sectionem, siue per purgans catharticum, attende virium robori. vt enim dicit Galenus decimo methodi, vna salus est pleuriticis ipsum virium robur. solent tamen sepe imperiti, pleuriticum iudicare viribus valere, cum non va

leat; vt dicit Galenus libello de pulsibus ad tyrones. dicit enim, pulsus pleuriticorū quia nervosiorē quodāmodo duriorēq; efficit arteriam, quasi conuerteret in vehementiam, imperitis imponit: quos quid intersit inter durū ictū & vehementem, latet.

¶ DE PERIPNEUMONIA.

PERIPNEUMONIA Inflammatio pulmonis est cum febre acuta, vt dicit Aetius: quibusdam tamen pulmonem inflammationem pati non posse, est visum: vt Galenus dicit in introductorio. vbi dicit, quod quidam dixerunt, quod ex pituita oritur peripneumonia. huius opiniois fuit Auicena: qui proprio capi. dicit, ab omni humore potest fieri peripneumonia, vt plurimū tamen à pituita. Auerroes quarto colliget capi. quinquagesimo secundo dicit, q̄ raro fit peripneumonia à pituita. vbi dicit, quod non potest oboriri à bile. quā sententiam videtur professum fuisse Galenū lib. quarto de causis pulsuum. vbi dicit, biliosus humor cum pulmone nec vlla ratione coercere potest. contrariū tamen videtur docuisse quarto libro de locis. vbi dicit, quādo cum spirandi difficul

tate cui & angustia & grauitas cōiuncta est, acuta quoq; febris inciderit, ijs affectus inflāmatio pulmonis est. at si intollerabile fuerit incendiū, angustię vero grauitatisq; sensus minor, erysipelas ipsum vexare censendum est. hæc dicit Galenus: vbi nō negat, quod ex bilioso humore proficiscatur peripneumonia. pro hac diluenda cōtrouersia dicere fas erit, quod à sola bile nō potest oriri, bene tamē à sanguine bilioso. sed certe hæc non sunt consentanea ijs, quæ quarto de causis pulsuum citauimus. vbi dicit, à sanguine crassiore ortum habere peripneumoniā. Cæterum inter signa quæ peripneumoniam cōcomitātur, sunt difficultas spiritus, & febris acuta, & secundum Razem nono ad almanforem capit. proprio, anterior pars pectoris dolet. at Galenus cōmentario tertio de ratione victus dicit, pleuritis dolorem in latere habet, peripneumonia non habet. Si hanc controuersia diluere cupimus, dicemus: quod si solus pulmo habet inflāmatōnē, quod in pectore nullus sentitur dolor. si autem simul cum pulmone inflāmatę fuerint eius membranę, quæ cum thorace secundū lōgitudinem sunt cōnexę, dolor in pectore sentitur. hoc eliciturex ijs, quæ dicit Aetius sermone quarto secūde partis capi, sexagesimo sexto.

ait enim, peripneumonia est inflāmatio pulmo-
 nis cum febre acuta. cōsequitur autem affectos
 thoracis grauitas absq; dolore. quod si pellicu-
 le ipsius quæ cum thorace secundum longitudi-
 nem ipsius connexę sunt, sint inflāmatę, etiã do-
 lorem percipiūt. porro si pulmo sensum habet,
 & etiam pulmo dolorem percipiet. de hoc autē
 videbis multas & apparenter contrarias senten-
 tias apud Galenum. quippe secūdo de locis, pul-
 monem esse sensus expertem fatetur. in libro de
 difficultate respirationis, nō negat pulmonem
 habere sensum. dicit enim, parū abest, q̄ pulmo
 sit sensus expers. in libro etiam quarto de locis
 inquit, dolores pulmonis sunt remissi. in cōmē-
 tario tertio pronosticorum dicit: pulmo nō sen-
 tit, vel difficulter sentit. Ex omnibus ijs fit palā
 Galenum dubiū fuisse, si pulmo sentiat nec ne.
 quomodo cūq; sit tamē, quia si sentit est difficul-
 ter, dolores eius sunt remissi: propter quod dif-
 ficulter percipiuntur.

¶ DE SANGVINIS

Reiectatione.

DV O Præcipue circa huius egritudinis
 curationem sunt adnotanda, quę multo-
 rum medicorum errata notant, quorum

primum est, quod pharmacis medentibus sanguinis reiectioni sunt miscēda cōgruenti mē-
sura medicamenta, tum calida tum tenuium par-
tium existentia: vt quę adstringentia & viscosa
sunt pharmaca, facile in corpus distribuuntur.
hoc placitum exaratum nobis reliquit Galenus
sexto libro de compositione pharmacorum se-
cundum locos: quod pauci medici obseruant,
nec qui medendi methodum docent hoc profi-
teri videbis. iubent hoc morbo correptis propi-
nare terram lemiā, pastillos de carabe, de spo-
dio cum aqua plantaginis, vel portulacę, nullū
medicamentum calidum vel tenue admiscētes:
aduertētes parum ea quę ex Galeno citauimus.
secundum quod annotandum est, est: quod an-
tequā ad alia fiat auersio, pro hoc curādo mor-
bo nō admoueas pectori adstringentia medica-
menta. ait enim Galenus libello de medicę artis
constitutione, maxime ledere eos noui, qui san-
guinem ex pulmone extussientibus, adstringen-
tia per totum thoracem medicamēta in orbem
circūponunt: nam præter id quod eorum facul-
tas in pulmonem non penetrat, sanguinem etiā
qui in thorace est, ad viscus compellūt. in libro
etiā vndecimo methodi dixit: parce ad pectus
est adstringentibus vtendum, quando talia hu-

mores qui phlemonem excitāt, in pulmones & cor nōnunq̄ reprimunt. omnia hæc ex Galeno sunt deprompta, quæ quanto annotatu sunt digniora, tanto à medicis obseruantur minus. Tu igitur non temere medicamenta adstringentia pectori admoueas: cum autē eis vti cupis, tenuis substantiæ pharmaca admisce, vt quæ adstringētia sunt, possint penetrare. considerare te decet, quod & euacuatione facta ipsa adstringētia medicamenta quæ thoraci admouentur formidat Galenus.

DE CORDIS PALPITATIONE.

PALPITATIO Est cordis deprauatus motus. porro tam necessarius ad vitā est cordis motus, quod cessante illo protinus cessat vita. interire autem non potest animal, quin cor afficiatur: vt dicit Galenus quinto libro de locis. Cor autem duos sinus habet, quorum sinister apud Galenū principalior est, in quo maior quantitas spiritus vitalis est. ob quod dicit Haliabas tertio theoricę capi. vigesimo primo, quod pulsus sinistrę partis cordis est maior, q̄ partis dextrę. hoc in hac parte vult Haliabas, & non illud, quod illi arrogat Concilia-

tor differentia octuagesima secunda. arbitratur
 nãq; Conciliator, Haliabatem voluisse pulsum
 sinistrae manus esse fortiorem: sed hoc non infi-
 nuavit Haliabas. cæterum cordis palpitatio (vt
 dicit Galenus quinto de locis) à forti intēperie,
 aut venenoso humore, aut ab erysipelate, aut in-
 flāmatione, aut alio quopiam præter naturā tu-
 more fieri solēt. ex qua auctoritate elicitur, Ga-
 lenum non negasse, inflāmationem & erysipelā
 posse pati cor: negat tamen, posse sustinere ab-
scessum primo de locis. neq; ijs dissona sunt, quę
 tertio de partibus animalium dixit Aristoteles:
 licet Conciliator & omnium recētiorum cæter
 ua oppositū sentiat. Aristoteles enim dicit, cor
 solum viscerum atq; omnino partium corporis
 nullum vitium patitur graue. hoc sic est intelli-
 gendum, quod vitiū graue nō patitur cor, quin
ob illud animal succūbat. probatur hoc esse ad
 mentem Aristo. ex ijs quæ in eadem parte dicit.
 subiungit enim, in nulla hostia cor ita affectum
 visum adhuc est, vt in cæteris visceribus cerni-
 tur. parum infra dicit, quę morbo vitijq; eius-
 modi pereūt animalia, ijs dissectis affectus mor-
 bosi in corde cōspiciuntur. Si hæc dicit Aristo.
 taxandi sunt sane, qui inter eum & Galenum li-
 tem inserūt. nam Galenus etiam voluit, quod si

est graue vitium in corde, animal pereat. inquit enim, inflammationes & erysipelas incipientes potest pati cor: ante enim q̄ augeantur huiusce modi affectus, animal corrumpitur. sed iam ad diuerticulum reuertamus. fit etiam cordis palpitatione ex vitio, quod est in panniculo cordis, q̄ per consensum ad cor transmittitur. cum enim panniculus ipse solus afficitur, quomocunq; affectus sit, inter ignobiles partes reputatur. (vt quinto de locis dicit Galenus) ex quo fit palam deerrare Mattheū gradi, qui cap. de cordis palpitatione dicit, tumorem præter naturam pāniculi cordis esse protinus letalem. errat etiā Mundinus in anathomia, qui dicit, quod intra hunc pāniculū naturaliter est humor, qui auctus potest inferre cordis palpitationē. patet, hoc esse aduersum ea, quæ Gale. quinto de locis proficitur: vbi humiditatem in pāniculo cordis contētam semper esse præter naturam insinuat. porro est etiam cordis palpitationis causa humor venenosus: vt iā ex Galeno citaumus. medicamenta etiam deleteria nūcupata, quæ quia in calidis naturis citius suā vim egerūt, (vt dicit Galenus tertio de simplicium medicamentorum facultatibus) ob id citius in eis hūc affectum gignent. mirādum tamen est, quod Plato libro de anima

infinuauit, venena minus pigriusq; operari, cum
 corpus est calefactum. hæc enim sunt verba Pla
 tonis. Iubet enim Ofocrates te moneri, vt quam
 parcissime loquaris, dicens eos qui disputant, ni
 miũ incalescere: nihil vero tale bibituris vene
 num conuenire: alioquin eos qui id fecerint, co
 gi interdum bis quandoq; ter venenum bibere:
 sed iam de cordis palpitationis causis multa: di
 camus iam aliqua de medicamētis, quæ cordi sic
 laboranti subueniunt. inter medicamenta autē
 quæ cordialia à medicis nuncupantur, numerā
 tur omnia aromatica ab Auicena vndecima ter
 tij tractatu secundo. porro quia ab intemperie
 tum calida tum frigida cordis palpitatio proue
 nire potest, operæpretium duco tractare, an om
 ne aromaticum sit calidum: vt sciamus, si cordis
 affectus à caliditate proficiscitur, tute tũc medi
 camenta aromatica propinari possint. quod au
 tem omne aromaticũ sit calidũ, dicit Gale. quin
 to libro aphorif. aphorismo trigesimo octauo.
 quem aphorismum exponēs Antonius musa in
 quit: quod vbi Galenus dicit, calida esse omniũ
 aromatum natura, est addendum, fere. sed certe
 semper quod Galenus de aromatum tēperatu
 ra loquitur, absq; additione dicit, quæ sunt aro
 matica, esse calida. nempe libro de attenuantē

victus ratione dicit: quidquid olfacti odorem bonū inferens, aromatis speciem gustui representat: id quoque viribus calidum esse oportet. Idem etiam dicit secundo libro de alimētorum facultatibus capi. de iunipero. has auctoritates Galeni mihi cōtemplāti, visum est dicere: quod (iuxta Galeni sentētiā) omne aromaticum est calidum, licet nō quidquid bene redolet, calidū sit. nō enim (mea quidem sentētia) omnia bene redolentia iudicantur ab auctoribus aromata. arbitror enim medicamenta quæ Arabes vocāt ellefanginea, græcos vocare aromata. & quia ha liabas non cēsuit, omne bene redolens esse aroma, propter hoc dixit quinto lib. theoricæ cap. trigesimo secundo: quod quæ odorātur, quædā sunt, flores & frondes, quædam aromata. quod nō diceret, si sentiret omne odoriferum aroma esse. Et licet Galenus semper dixit, omne aromaticum esse calidum: non tamen semper asseruit, omne bene redolens esse calidum. quippe secūdo lib. de simplicium medicamentorū facultatibus dicit: nō quicquid bene redolet, calidū est: quod quidam dictitant. Nec quæ in quarto lib. de simplicium medicamētorum facultatibus dicit, ijs aduersantur: vbi reperies, quæcunq; sunt odorata, sunt calida. quia vt fidi interpretes di-

eunt, textus est deprauatus. debet enim dicere: quecūq; sunt odorata, sunt halitiosa. sed ijs sufficiūt ista: nā quicūq; vocabulū aroma bene per pēderit, licet medicinam nō caleat, istā quęstionem poterit absoluerē. Cęterum cęsentur inter medicamēta cordialia aurum, & multa margaritarum genera. Musa autem suo libello de simplicibus dicit, aurum nō roborare cor, quia habet multum argenti viui. sed certe ex hoc non probatur, quod cor non possit confortare. aurum nanq; ex duobus immoderatis componitur, vtpote ex sulphure & argento viuo: fieri tamē potest, (vt dicit Galenus quarto de simplicium medicamētorū facultatibus) vt immoderatis duobus coeuntibus, id quod ex ambobus mixtum sit, commoderatum euadat. maxime q̄ fiderum vi aliquid auro influitur, ratione cuius qualitatem potest nancisci, quę sit cordis roboratiua. Et quia vt Marsilius libro de triplici vita dicit: est credēdū, quod gēme quę in pentralibus terre virtute fiderum tam pulchrę gignuntur, mirabiliū qualitatum nō sint expertes: etiā nō denegaturi sumus, quod aliqua earū habeāt roborādi cor facultatē. licet Manardus in annotationibus quę cōstruxit in composita Mesue, parū approbat gēmas ad cordis roborationē.

Enchiridion medicinae.

no sed quis poterit diffiteri, Smearardū saepe in cor-
dis affectibus iuuare, si videt vsque adeo vene-
no bufonis contraire, quod oculos illius lique-
facit. Circa hoc tamen est obiter notandum, q̄
rarēter electuaria de gēmis cōgrue parātur: q̄
seplascarij non optimas iacintos, non veras sine-
rardos quērunt, sed pauci valoris lapides com-
parant: quorum facultas multum debet abesse à
facultatibus gemmarum. Solet etiam à medicis
& seplascarijs magnus comitti error in cōficien-
dis ellectuarijs de gēmis. multas nāq; descriptio-
nes vidi ellectuarij diamargaritonis frigidi, quę
omnes constant ex gemmis multisq; medicamē-
tis cordialibus: omnia tamen sunt frigide & ad-
stringentis naturę, quę difficulter sane ad cor
poterunt permeare. Decens igitur est, quod si-
milibus medicamentis misceantur pharmaca te-
nuis substantię, vt eorum vis facile ad cor possit
no penetrare. Ponuntur etiam à medicis inter me-
dicamenta cordialia sericum & coccum: a Ma-
nardo tamen parte citata nō approbātur. de cō-
fectione enim alchermes loquens, dicit: in hac
nunquā iactarē pecunias: nam neq; in serico vo-
cato neq; in cocco agnosco vim nisi cōstringen-
tem: calorisq; rubri ratione ledere potius vide-
tur cor, q̄ iuuare: spiritus & sanguinem trahen-

do propter similitudinem. hæc manardus : quæ sane parum probant . nō enim ex hoc quod ille in serico & cocco nō agnoscat nisi contringentem vim: cōuinci possumus ad credēdum, quod qualitates occulte illi ignotæ nō insint ijs medicamentis, ratione quarum cor possint roborare. Ea etiam quæ in eadem parte dicit, scilicet q̄ rubra cordi nocent, quia sanguinem & spiritus trahūt propter similitudinem, videntur à ratione aliena . In primo enim libro probauimus, q̄ ratione similitudinis substantiæ bene potest fieri attractio: sed quod ratione similitudinis coloris potest fieri attractio, quis hoc concedet? si enim propter similitudinē coloris attractio fieret, sanguis attraheret sanguinem, bilis bilem, & pituita pituitam. quod si dicit Manardus, ex ætematibus vexatos videmus vestibis purpureis iuuari, & non ob aliud nisi quia sanguinem attrahunt de internis ad externa: hæc forsitan dicit Manardus: sed sane hæc suam sententiam nō muniunt. nam si color purpureus iuuat ex ætematibus correptis, ex eo est, quod causam imaginandi in rebus purpurei coloris inducit: ex qua imaginatione euenit, vt sanguis mittatur de penitioribus ad exteriora. & sic parū iuuat, quod hoc morbo affecti induantur purpureas

vestes, si illas nō possunt videre. Vltimo est notandum, quod multa medicamēta quæ theriacalia dicuntur, numerantur inter medicamēta cordialia: immo omnia medicamēta cordialia à recētioribus medicis dicuntur theriacalia, vt apud Gentilem videre poteris vndecima tertij. Sed qui ista edisserūt, plane deciscūt ab ijs, quæ Galenus sexto de morbis vulgaribus commentario sexto profitetur. vbi dicit, ea dicuntur medicamenta theriacalia, quæ ferarū morsibus medentur. Cum ergo multa sint medicamēta cordialia, quæ morsibus ferarum nō medentur, patet, hos à vera Gale. sentētia deerrare. sed quia de cordium affectibus aliqua diximus, tāquam quid ad eorum curationē maxime vtile subnotare nō te pigeat, quod cor calidę & humidę est temperatura: vt Galenus libro primo de temperamentis disseruit. est enim caro eius (vt ille dicit) cute mollior: quod si Auicena, & sibi additissimi perpendissent, non discertarent, cor ficci esse temperamenti. & admirari subiit, quæstio de temperatura cordis à multis tractatur, nemo tamen auctoritatis Galeni fuit memor.

¶ DE DOLORE VENTRICULI.

IN MEDENDO vētriculi dolori, multos idiotas medicos videbis deerrare, qui ac si ab intemperie calida nō posset proficisci, semper medicamenta calida propinant: nec cum hæc exhibent, aduertūt: si æger sit pransus nec ne. Considerare debent, quod etiam si dolor à frigida causa proueniat, non sunt exhibenda post cibum medicamenta, quæ quæ ad distributionem vehementem faciūt (vt Galenus quarto de sanitate tuenda, de medicamine diospolitico nūcupato loquens, monet) bene tamē licet post cibum exhibere medicamēta, quæ nō tātum distribuere valeant, si aliquo præsidio ad concoctionem eget æger. inter medicamenta autem quæ hoc efficere possunt, numeratur à Galeno citata parte diatrion, pipereon. quod si diatrion pipereon tunc temporis exhibere licet, exhibere licebit aromaticum rosaceum, & multa id genus medicamenta: etiam si multi practici oppositum doceant. cæterum oboritur in ventriculo dolor ex eius inflammatione. cum autem vētriculum inflammatio occupare cęperit, non vti conuenit medicamine, quod aluum deiciat: vt Galenus dicit tertio de

ro secundum Aristotelem trigesima tertia sectione problemate quinto, singultus non est ventriculi affectio, sed pectoris vel pulmonis. Dicit enim, fit ructus, cum ventriculi humor recalescens inflatur, atque concoquitur: singultus vero, quoties spiritus vacans ab humore in loco spiritui deputato detinetur. forsan Aristoteles in hac parte voluit succinere Platoni, qui via potus esse magnam arteriam, libro de natura sentire est visus: a quo remedia singultus ediscere potest. quippe qui in libro de amore dicit, si vis quoadiu spiritum cohibere, singultus cessabit. si minus id placet, saltem aqua multa intus allue fauces, & si forte vehemens est, nares commode stimula, ut sternutatio irritetur: nam si semel aut bis feceris, etiamsi frequentissimus tolletur. hac dicit Plato: quae utinam protinus vera essent. tam vehemens enim solet esse singultus, quod sternutationes eum tollere non valent, mulcent tamen illum.

DE IECORIS DOLORE
& obstructione.

IN IECORE Multae sunt venae, paucae tamen arteriae. ut. iiii. de usu partium dicit Gale, falso ergo illi imponit Auer.

secūdo colle. qui dicit, dixisse multas arterias esse in corde. ne omnino autē iecur sensus esset expers, neruus in ipsum inleritur: vt Gale. dicit citata parte. dolor autem iecoris grauis est, tunicę vero eum circundantis acutus: vt sexto libro aphorismorū ipse differit. nec dolor grauis proprius hepatis est, sed spleni & renibus est cōmunis: vt tertio de locis affectis profitetur. potest autem oriri dolor in iocinore ab intemperie tū calida tum frigida, & à continuitatis diuisione. pro remouenda autem intemperie calida medici frequēter vtuntur rosaceo vnguento, sed nō tantum refrigerare potest, quod si intensa caliditate iecur afficitur, vt in ardentibus febribus solet, caliditatem possit profligare. medicamentis etiam vilioribus id obtinebis, quod rosaceo vnguento efficere tentas. adeſt omphatij succus, qui vili venditur, & ad hipocondria ardentia multum laudatur à galeno quarto de simpliciu medicamentorum facultatibus. cęterum si obstructio iecur occupat, in eius curatione festinādum est, nam ad obstructionem breui sequitur putrefactio præcipue in frigidis naturis: vt Galenus dicit octauo libro medicamentorū secundum locos. circa autem iocinoris obstructionē solent medici deerrare, qui ante vacuationem

Enchiridion medicinæ.

9
11. m. 11
tho.
medicamenta fortem aperiendi vim habentia exhibēt: quos redarguit Galenus vndecimo methodi vbi dicit, ostēsum in prioribus libris est, si ijs auxilijs quæ obstructiones eximant, vti, nō vacuata prius abundantia velimus, fore vt non modo nihil proficiamus, sed etiā affectum maiorem reddamus. porro inter medicamēta quæ obstructo iocinori opitulari possunt, à multis medicis numerantur nuces ponticę & cocleę: et vsq; adeo ijs medicamētis fudit Mattheus, quod asseuerat, in qualibet obstructione iocinoris cōuenire cocleas & nuces ponticas. sed ego nō video, aduersus hunc affectum tanti facere hæc cibaria Galenum: quippe libello de attenuate vitus ratione dicit, nuces ponticas nullam abstergendi ex visceribus excrementa habent facultatem. in secundo libro de alimentorum facultatibus dicit, difficulter coqui nuces ponticas. si difficulter concoquuntur, abstergendiq; ex visceribus excrementa non habent vim, parum certe obstructioni iocinoris mederi poterūt. de limacibus dicit tertio libro de alimentorum facultatibus, quod carnem habent cōcoctu difficilem et duram: & tertio de locis affectis dicit, ex limacibus sanguis melancholicus generatur. quę autem id genus sunt, minime obstructo hepatis suc

currūt. est etiam à multis medicis aduersus omnes iocinoris affectus magnopere laudatū lupinum hepar: atqui Galenus vndecimo libro de simplicium medicamentorum facultatibus, paucam vtilitatem in eo inuenisse tradit. porro in octauo libro de compositione pharmacorū secundum locos, ad aperiendam iocinoris obstructionē laudat Galenus mel, & magnopere vūā passam. ex quo conuincitur quorūdam medicamentorum recepta sententia: scilicet quod omne dulce obstruit præter mel. vua passa dulcis est, non tamen obstruit, sed iuuat. immo moderate dulcia in obstructione orta à causa frigida plus habent naturam iuuandi, q̄ nocendi. si isti dicerent, quod iocinori inflammato omnia dulcia officiant, sane à veritate non deciscerent. ceterum si inueterata est obstructio, semper esse venam secandam monet Matthæus gradi. sed cum frigidi crassiq; sunt humores obstructionem gignētes, sane à veris medicinae decretis deuiavit, qui in obstructione quantūlibet inueterata sanguinē miserit. timet Galenus vndecimo methodi in lethargo, qui acutus morbus est, venam secare, si crudi humoris est copia, & nos aduerte re id non debemus: etiam si sit nimis diuturna iecoris obstructio? quid poterit tunc venę se-

Enchiridion medicinæ.

Etio iuuare, nisi increffare humores, minuere calorem iocinoris genuinum, qui morbo opponitur. dicit Matthæus, quod eo venę sectio tunc iuat, quia humores mouet: ac si humores crudos mouere, & nõ vacuare in obstructione prodesfet. considerare illum præstaret damna, quæ ex venę sectione consequi possunt, & non tam absurdum astrueret dogma.

¶ DE AQUA INTER Cutem vel hidrope.

HIDROPIS Tres sunt species, scilicet ascites, timpanites, & anasarca: in declarando tamen quæ earum sit peior, non omnes conuenire video. nempe Aetius sermone secundo tertię partis capi. vigesimo, timpanitem periculosiorem esse tradidit: quod etiã voluit Auer. cui sententię adheret Fuchsius sua practica capi. de hidrope. at Antonius musa vndecimo aphorismo quarti libri dicit, hiposarcã esse peiorem: quam sententiam docuisse Paulum & Aetium fatetur. sed sane hoc ab Aetio & Paulo nemo discere potest: nec experimentũ huic sententię astipulatur: plures namq; ab anasarca releuari, q̃ ab ascite, experiëntia testatur. cui multi

adhibentes fidem, non timpanitem periculoso-
rem esse iudicarunt, sed ascitem: quibus patrocini
nari videtur galenus libro quarto de causis pul-
suum. qui de hidropicorū pulsu loquens, dixit,
timpanites minus facultatē grauat ascite. quod
si facultatem magis deicit, videtur facultatem
facilius ab ea succumbi: minusq; morbo posse
repugnare.

¶ DE DOLORE SPLENIS.

QVANTI Sint, qui lotium humanum
maxime puerorū multum laudauerint,
ad profligandam lienis obstructionem,
mei compatriotæ bene norunt. quippe in com-
muni vsu est, in hac prouintia illud bibere, qui
obstructione lienis laborat: nec defuere practici,
qui in suis scriptis illud cōmendarunt. atqui qui
Galeni dicta decimi libri de simplicium medica-
mentorum facultatibus bene perpenderit, neu-
tiquā lotio spleni obstructo mederi tentabit. nē-
pe de vrina humana loquēs dicit: nihil enim ha-
bet abominandum perinde vt vrina capiti alte-
rive parti infusa: nam quid cōmemorem vrinae
potum? & certe præter spurcitiā quā præ se fert
lotium, videtur eius vsus non omnino salubris.

Enchiridion medicinæ.

siquidem in puero robusto sepe natura tentat, nocuos humores per ver vesicam purgare, qui lotio mixti nescio, quomodo nõ officient illud potanti. videbis alios, qui non modo lotium bibendum laudant, sed pñum cerulei coloris in vrina madefactum lieni admouere præcipiunt. si eis ex voto succedit, sua laudemus remedia: non tamen video, vrinam nisi exficcando posse iuuare: reperies tamen tu multa, quæ tantum exficcare valeant, & multo magis citra abominationem aperire.

¶ DE DOLORIBVS Intestinorum.

FACILE Hominum intestina dolore capiuntur: quia quæ illa velat cutis, tenuis & depilis est, ob rectamq; hominis figuram noxis multipliciter admodũ obnoxia. prouidit tamen sagaciter natura, vt à multis noxijs intestina releuarẽtur, vt omentum in homine in omnia intestina extenderetur: quod eorũ concoctionem iuuat, & ab externis causis ea munit. in cæteris autem animantibus quia eorũ intestina vegetiorẽ habent cõcoquendi vim, eorumq; cutis est dura & pilosa, in omnia inte-

stina omentum nō extenditur: sed (vt Galenus
 dicit quarto de vsu partium) in ijs quidem ma-
 gis, in alijs quidem minus extēditur pro cuiusq;
 ipsorum animalium natura. Aristoteles tamen
 quarto libro de vsu partium capi. tertio dixit,
 omnia intestina cōplecti in omnibus sanguine
 pręditis. Lōge ab ijs dixit Iacobus de forliuio,
 qui secūdo artis medicinalis quæstione quadra-
 gesima octaua dixit, omentum in brutis animan-
 tibus soli ventriculo incumbere: quod patet, et
 se aduersus auctoritatem Galeni, qui dicit, licet
 in brutis omentum in omnia intestina non extē-
 datur, extendi in aliqua intestina, in alijs quidē
 magis in alijs quidem minus: vt iam dictum est.
 cæterum dolorem intestini colli Hispani nomi-
 nant dolor de ijada: sed aliud est intestinum col-
 lum, aliud ijada. ijada à quibusdā dicitur iliū, à
 quibusdam hipogastrium. si dolor est in tenui-
 bus intestinis, dicitur ilium: multi ex latinis hoc
 malum vocant voluolum. videtur etiam Gale-
 nus, dolorem crassorum intestinorum nōnunq̄
 vocare voluolū. dicit enim libro tertio de mor-
 bis vulgaribus cōmentario secūdo, cum sit om-
 nis periculosus voluulus, qui in sublimibus in-
 testinis confedit, his sunt deteriores, qui in cras-
 sis: vt qui contagio iecur afficiant & lienem.

Enchiridion medicinæ.

In hac auctoritate dolorem crassorum videtur vocare voluulum. & aliquis per transenam hæc aspectans censebit, Galenū hic velle, dolor crassorum intestinorum esse periculosiorem (vidi namq; aliquos hæc arbitrari) sed nil minus hic voluit Galenus, vt ex toto progressu elucescit.

debes enim auctoritatē sic intelligere. cum omnis voluulus qui in tenuibus intestinis cōsedit, sit periculosus, est deterior doloribus, qui in crassis. multi enim dolores qui sunt in crassis, nō sunt periculosi: nec cōtagio sic iecur & lienem afficiunt, vt dolores qui sunt in tenuibus intestinis. circa autem horum dolorum curationē multi medici à vero methodo exorbitant, qui fortia medicamenta purgantia exhibent: aduersus quos est Galenus primo de locis affectis. qui monet, vt ea medicamenta colli dolore vexatis exhibeantur, quę vacuent humores ex intestinis, nec aliunde alios trahant. & duodecimo methodi idem profitetur. sed multi medici seruantes adagiū hispanū, nulla egritudo est, in qua venam secare & purgare non tentent.

¶ DE ALVI PROFLUVIO.

SI ALVI Profluuium est sine vlceratione & inflammatione diarrhea nuncupatur: si est cum exulceratione, dissente

ria: cum est leuor intestinorum, dicitur lienteria: cum est inanis gerendi cupiditas, dicitur tenesmus. In curatione autē diarrheę medici peccant, qui in principio nō vacuata abundātia vnguentis stipticis ventrem densant. Dicit enim Galenus libro primo de arte curatiua ad glauconem: ventis refrigerantibus, aditus præparare: aerem quoq; domus alterare: frigida atq; adstringēte qualitate, myrthorum folijs vitium cinulis ac rosis pauimentum consternentes. nihil vero horum confert, vbi ad ventrem fluxiones fiunt: nam quo magis cutem densaueris, tanto ipse magis augentur. hæc Gale. quæ si multi medici considerarent, cautius adstringētia vel emplastra ventri admouerent. Errant etiam medici, qui alui fluore occupatis inaduertēter medicamenta purgantia exhibent. Galenus enim primo de arte curatiua ad Glauconem, medicos hortatur: quod si fuerit febris cum ventris fluore, ab euacuatione caueāt. dicit enim, si fuerit febris cum ventris profluuiio, alia non opus est euacuatione: verum hæc sola sufficit, quauis non sit pro multitudinis ratione. quicumq; enim hic plus adimere fore necessarium putantes, aut sanguinem mittere, aut ventrem mouere tentarunt, in grauiora pericula duxerūt. hæc

Enchiridion medicinæ.

Galenus. quæ non protinus purgationem quæ
fit cum pharmaco, diarrhæa captis inhibet: sed
monent, quod si febris infestat cum alui fluo-
re, nõ præcipitanter purgemus. quod enim ali-
quando purgare liceat, Aetius ostendit sermo-
ne primo tertiæ partis capit. trigesimo quinto.
qui de alui fluxionis curatione loquens, dicit,
cõuenit itaq; rebus sic stantibus, aut vsquequo
naturam omnem curam suam impenderit expe-
ctare, aut etiam ipsius motus adiuuare. hæc Ae-
tius. adiuuatur autem natura, potione redundã-
tes humores euacuante exhibita. si enim ante-
quam redundantes humores euacuentur, flu-
xiones reprimere tentes, humorum abundan-
tiam ad principes partes retorquebis, vt dicit
Gale. tertio de morbis vulgaribus commenta-
rio tertio. cum autem pharmacum purgans ex-
hibes, caute exhibe, ne ad maiora pericula egrũ
ducas. & si vides naturam potenter se deonera-
re, minime gentium subductiuum pharmacum
propina. vide, quod Galenus etiã si vëtris pro-
fluuium non sit pro multitudinis ratione, sub-
ductiuum pharmacum timet. porro inter medi-
camenta purgantia quæ alui fluore captis pro-
pinantur, rhabarbarum est, quod multi torre-
faciunt, & assant, vt suę vis purgatorię aliquid

*Rabarbarum nõ vrendu' vt rompescat
siquidem sũt medicamenta plurima ad
genũ dõs possit misceri: nõ qz aliqd.*

reddat / febricitantibus minus conueniet

Liber tertius. CLXXXIIII

amittat. sed sane si multa est humorum redun-
dantia, & naturam iuuare cupis, non est, cur sic
rhabarbarum eneces. amissa enim vi purgato-
ria compescet, & non soluet: quod si prauu hu-
mores redundant, compescere non licet. tu-
tissimum nempe medicamen est rhabarbarum.
frenum est cum eo, vt dicit Auerroes, non alio
freno eget. quod si coercere suam vim exoptas,
multa sunt medicamenta adstringentia, quæ illi
miscas. si enim assatur, præter hoc quod non
soluet, vt optamus, calidius reddetur: & sic fe-
bricitantibus minus conueniet. quæ enim non
sunt acria, vsta caliditatem acquirunt: vt dicit

Aetius sermone secundo primæ partis cap. pri-
mo. forsan aliqui cõtendēt, quod reddetur rha-
barbarum frigidius, quia partes acutas amittit:
sed in hoc nolo immorari. scio, antiquos qui ad
iuuare naturam in ventris fluore, cum humorū
est magna multitudo, opere precium esse cēsue-
runt, non nouisse medicamen tam tutum, qua-
le rhabarbarū. practici etiam monēt, quod cū
rhabarbarum propinatur fluxione alui corre-
ptis, quod ei nō admisceatur spica. dicunt enim,
spicam alui fluorem concitare: vt videre potes
apud Mattheum cap. de alui profluuiio, sed isti
à veritate exorbitant / Dioscorides nanq; nar-

*spicam adstrin-
gere*

Enchiridion medicinæ.

dum potum aluum sistere docet. Idem Galenus
profitetur octauo libro de simplicium medica-
mentorum facultatibus. dicit etiam Aetius ser-
mone primo tertię partis cap. iam citato, quod
post sufficientem inutilium vacuationem alui
fluxionem sanant capilli veneris decoctum, pa-
liuri folia, vinacei vuę, triti spica nardi. Cęterũ
pro dissenterię curatione est notandum: quod
(iuxta ea quę Galenus decimo tertio methodi
dicit) est execrabilis error eorum, qui inconfi-
derate eam purgantibus medicamentis proflig-
gare intēdunt. dicit enim, si ventriculus aut in-
testina phlemone occupare iam cęperit, medi-
camine quod aluum deiciat, vti non conuenit.
siquidem longissime à tentata fluxione parte
quod redundat, reuellere, neq; ad eam attrahe-
re conuenit. hæc Galenus: quę cum notatu sint
dignissima, pauci medici aduertunt. nec arbitra-
ri te velim, me omnino repudiare purgationē,
vt aliquos repudiare audiui. potest enim esse in-
utilium humorũ multitudo, qui stillatim fluant
ad intestina: qui cum magnam moram trahant,
intestina exulcerent, qui si breui tēporis inter-
capedine transirent, intestina non cauarent. vt
enim multa aquę quantitas non cauat saxum, si
sine mora per ipsum transit: gutta tamen assi-

duo illifū, illum cauat: sic cōtingit vt quatuor vncie humoris ftillatim ad intestina cadētes ea vlcerent, & quatuor librę raptim per ea fluentes ea radere nō valeant. Dioscorides enim de agarico eam difsenterijs iuuare dicit: purgatorium tamen medicamentum est ſalem etiam difsentericis commendat Plinius. xxvij. libro cap. quarto. ſed iam ad alia tranſeamus. Porro ſingulare difsentericis medicamē est pinguedo caprina (vt Galenus dicit primo de ſimpliciū medicamentorum facultatibus) facile enim cōcreſcit, & intestinis iungitur, plurimoq; tempore inheret. nec arbitreris eque prodeſſe hircinam pinguedinem: quia enim multam acrimoniam habet (vt tertio de ſimplicium medicamētorum facultatibus dicit Galenus) ob id nō tantum prodeſſe ego iudico. Hoc annotare libuit, quia video multos medicos indifcriminatim vtraq; pinguedine aduerſum difsenteria vti.

¶ DE CALCULO RENVM.

QUOD Vrina vi renum ſegregetur à ſanguine, omnibus est perſpicuū: & qui voluerit exacte hanc materia inueſtigare, legat Galenum quinto

A

Enchiridion medicinae.

de usu partium. vbi inter alia dicit: ne igitur cum
vrinis per aliquod foraminum quæ in renibus
habetur, quemadmodum tenue biliosum, ita &
sanguis elaberetur, desum eorum corpus fuisse
prestitit. ex hac auctoritate elicitur error eorum,
qui dicunt, cum vrina sanguinem ad vesicam trāsi
re, quo eam nutriri vel refocillari dicunt. dicunt
enim, vesicam ratione sanguinis vrinam attra-
here: patet, hoc in auctoritate citata negasse Ga-
lenum, qui etiam sexto de locis affectis dixit ve-
sicam à renibus non trahere. Errat igitur Mat-
theus, qui capit. de difficultate vrinæ de ana-
thomia vesicæ tranctans, dicit: vesica est rece-
ptaculum eiusdem aquositatis, & attractiua
eiusdem: vt in ea aggregetur, & per tempus
conseruetur. Omnia autem quæ diximus, in-
telligenda sunt, cum renes fruuntur optima
valetudine: nam si egressæ habent, solet sanguis
cum vrina ad vesicam trāsire. solent etiam cum
eius vis expultrix est imbecillis, humores crassi
& terrei in eis aceruari, qui à renum immodico
calore affantur, & in lapidem indurantur. & li-
cet calor nō sit immodicus, solet nōnunq̃ calcu-
los gignere, si crassi humores longam moram in
renibus trahant: vt Gale. libro de affectuum re-
nū dignotione & medicatione dicit. in qua par-

96
de locis
affect.

a modico
calore
si crassi
qu. longam. mora. in
renibus trahant

te etiam asserit, calculos renum in eorum caui-
tate & eorum substantia posse gigni, quod etiã
docuit lexto de morbis vulgaribus commẽta-
rio primo. Taceant igitur multi practici, qui in-
 nixi auctoritate zoar & Auerrois contendunt,
 calculos in cavitare renũ non posse creari. zoar
 enim secundo libro, & Auerroes tertio suorum
 collectaneorũ in substantia renum calculos gi-
 gni docent. recantavit tamen palinodiã Auerr.
 qui quarto libro cap. quadragesimo quinto, vt
 plurimũ generari in cavitatibus disseruit. quod
 Aetij sententię est consentaneum, qui sermone
 tertio tertię partis cap. quarto innuit, calculos
solum esse in renum ventriculis, & non in car-
ne. dicit enim, consistunt autem lapides in reni-
 bus iuxta ventriculos ipsorum, aut parui, aut
 maiores, & aliquando quidam pauciores, & ali-
 quando plures: non autem explicat quod in re-
 num carne consistant. Ceterum notãdum est, q̄ ^{9. 1102}
Auicena de colli dolore tractãs, quem multi se-
ctantur, dicit: q̄ dolor qui ex calculo renũ pro-
ficiscitur, minuitur post victum assumptum: cõ-
tra colli dolor augetur. sed contra hoc est Hi- ^{6. 108}
 pocrates lexto de morbis vulgaribus commen- ^{m. 1100}
 tario primo: qui dicit, in renem dolor grauis cũ
 cibo impleti sunt. quem textum exponẽs Gale- ¹⁰

Enchiridion medicinae.

nus dicit, dolores autem eo potissimum tempore in renibus excitari, quo replentur cibo. cūq; duo ab hac voce cibus apud ipsum significentur, in vtroq; significato veridica oratio est: siue de assumptis cibarijs ex quibus sanguinis multitudo creatur, siue de alimenti recrementis quæ in intestinis colliguntur intelligas. hæc Gale. sed de huius morbi curatione aliqua iam propalemus. Aduertendum igitur est, quod si sanguinis adest copia, eius missione vel magnopere nephritici iuuantur. iubet autem Galenus libro de curandi ratione per sanguinis missionem, vt vena quæ in poplite est, aut in malleolis sunt, secentur. Aetius tamen sermone tertio tertiæ partis cap. quinto, venam cubiti tūdere præcipit. Galenus, vel quicumq; auctor in libro de renum affectuum dignotione & medicatione, si valida sit virtus, venam poplitis aperire monet, vel quæ ad malleolos est: si in imbecillis, venam quæ est in cubito. dicit enim, nam si virtute debili infra euacuabimus, retentrix facultas quæ est imbecillis, nō retinebit, sed vniuersa in preceps rapietur, & partem assiduo defluxu impetet: succis videlicet in locum imbecillem perpetuo procumbentibus. hæc Galenus. quibus aliquis conciliare velit dicta Aetij, & ea quæ ex libro de curandi ra-

tione per sanguinis missionem citauimus. sed sane dicta Gale. nō sunt conformia Aetij sermonibus: quippe qui magna existēte repletionē venā cubiti secare docet. pauci sunt tamē qui vnā aut alterā venam pro hoc curando morbo aperiant, sed solis chyfmatibus eū profligare tētāt. chyfmata autem præcipue si magnæ quantitatis sunt, distendēdo officere solent. dicit etiā Galenus libro de affectuū renum dignotione & medicatione, magnopere immoderatam emolitionem vires renum exoluere: hec autem sunt, quæ perfecte vniuersum dolorem curant. in eodem libro dicit iste auctor, quod medicamina quæ calculos cōterunt, tepida caliditate debent esse prædita: nam quæ nimis calida sunt, vrinam pro uocando indurant lapidem. hec etiam docuit Auerroes decimo nono capi. quinti libri suorū collectaneorum, quibus sane ratio suffragatur. multi tamen medici qui solum practicoꝝ lectione gaudent, & maiorum decretis animum non attendunt, pharmaca admodum caloricæ potentiæ ad cōterendos calculos exhibent: quæ indurando lapidem, sua forti vi renes ipsos exulcerant.



RECEPTA. Consuetudo est, pueris quos vermes torquēt, argentū viuū exhibere: quā laudat Antonius musa libello de simplicibus. vbi dicit, q̄ argentum viuum venenum fit, contendunt recentes ex Dioscoridis & Plinij sententia: non animaduertētes dici venenum ex suo pondere, non aliqua letali qualitate. nos infantibus vi vermiū semimortuis exhibuimus, et illico sanati sunt. hęc dicit Musa: quę clare monstrant, eum non vidisse, quæ sexto de morbis vulgaribus commētario sexto dicit Galenus. vbi dicit, verū ea de causa mihi plura medicamenta non vocare mortifera medici videntur, quod ipsorum temporibus quibusdam utilitas necessaria sit: ea vero appellare deleteria, idest pernitiōsa, quę nullo vnquā tempore neq; egrotis hominibus, neq; valentibus opē ferunt. neq; enim aconitum neq; argentū viuum in corpus accepta vllum nobis afferunt emolumentum. hęc dicit Galenus: quibus si fidem subrogamus, non eos laudauimus, qui frequenter argento viuo vtuntur. & esto quod verum esset, quod dicit Musa, scilicet quod solum sui ponderis ratione dicitur venenum: eius vsus (quicquid ille dicat) non est tutus. si enim noxę quas

infert, perniciosę sunt, licet vi ponderis proueniant, non temere illud propinare decet.

¶ DE VTERI.

Strangulatu.

VTERI Strangulatus Galeno sexto de locis affectis teste, fit ob retēta mēstrua vel semen cohibitum: in nono autem libro de simplicium medicamentorum facultatibus, solum ex semine cohibito hunc affectum enasci innuit. quam sententiam docuit Serapio capi. de vteri strangulatione, & Auerroes vigesimo nono capi. tertij libri suorum collectaneorum. ceterum inter medicamenta quę aduersus hunc affectum à Galeno citata parte laudatur, numerantur agaricum in potu acceptum ex vino, & plantaginis semen, & succus cum vino, & acetum scylliticū absorptum. ex ijs duo nobis annotanda veniunt: quorum primum est. quod errant, qui contendunt, non licere vinum exhibere vteri strangulatu captis: ne ratione fragrantis odoris exacerbetur malum. patet Galenum vinum exhibuisse, multum enim iuuare potest. quod si ipsum ob redolentem eius odorem times, obtura strangulatę nares, & odorem non

*lura
lin*

*Feme
dia in
strangulatu.
Auerroes.*

Enchiridion medicinae.

percipiet. nec arbitraris hic me taxare Auicena, qui vigesima prima tertij tractatu quarto capi. decimo nono dicit, caue, ne des in potu vinum ei, cui matrix comouetur: quia Auicena non attendens odori vini hac dicit: solum enim repudiat vinum tanquam maxime nutritiuum: quod ex subsequen- tibus innotescit. postquam dixit, quod non detur vinum: dicit, nec des carnes grossas, & ea quae addunt in carne & spermate. taxandus tamen est Gentilis, qui hac exponens dicit: non des vinum, quia propter bonitatem sui odoris facit matricem ascendere, & euaporare. timet odorem vini Gentilis, & non olea odorifera: quae capiti strangulate in eodem capite iubet ad mouere Auicena? secundum quod circa citata est annotandum, est: quod in vteri affectibus bene licet propinare medicamenta, quae habent acetum, si eius vis & acrimonia est retusa & edomita: acetum namque scyliticum praebet Galenus strangulatis, vt iam citauimus. Porro in tertio de victus ratione in morbis acutis dicit Hipocrates, mulieribus magis quam viris aduersatur acetum: nam vterum dolore afficit. causam autem ob quam acetum vtero officiat, exprimit Galenus in commento. dicit enim, acetum suapte natura neruos offendit, quia exangues sunt, & ideo frigidi: fa-

cileq; ab ijs que refrigerant, simul & tenues habent partes, afficiuntur medicamentis. sic igitur acetum neruofas offendit partes. vterum autē anathomici fere omnes neruofum esse dicunt. hæc dicit Galenus. vbi præter causam quam assignat, videre poteris eum, vterū esse neruofum fateri. idem docuit quarto libro de causis pulsuum, & libro de dissectione vluę, et Alexāder sectione quinta problemate sexagesimo septimo, reddēs causam ob quam acetū vtero multū aduerfetur. ijs quispiam munitus forsan taxabit Auicenam, qui vigesima tertij dixit, vterum nō esse neruofum: sed si Galenum seipsum exponētem audis, videbis calūnię esse Auicenam immunem. dicit enim Galenus sexto de morbis vulgaribus cōmentario primo: at eorum sermo qui neruofum esse vterū prædicant, secundū aliquā significationem verus esse, secundū alteram falsus esse putandus est. Tria enim similarium corporum in animalibus genera sunt, que & exanguia & sinu carentia perspiciuntur: horum aliqua ex ossibus, aliqua ex cerebro, aliqua ex musculis prodeunt. horum primum genus ab Hippocrate copula nominatur, secundum neruus, tertium vero tendo. ex nullo istorum trium generum vterus multos suscipit, sed quoniā ipfius

Enchiridion medicinae

corpus latissime distendi, contraq; in breuissi-
imum spatium contrahi cernitur, quod à nullo
carnoso membro aut pingui praestatur: hac ra-
tione vterum neruosum esse ex quadam simili-
tudine dicimus. Omnia haec sunt desumpta à Ga-
leno. sed aliquis captionibus cauillofis gaudens
dicet: haec non sunt cōformia ijs, quæ in alijs lo-
cis ipse dixit. quippe commentario tertio de ra-
tione victus, ob id quia vterus sit neruosus, di-
cit ei faceßere negotium acetum. ibidem etiã di-
cit, omnes anathomici fere vterum esse neruo-
sum dicunt: & absq; eorum adnotatione quam
ex anathomica inspectione fecerunt, ratiocina-
tione colligitur. in libro etiam de causis pulsuum,
inquit, vteri suffocati pulsum esse protensum.
cuius causam subiungit: cum neruosus sit locus
affectus, par est, vt protendatur pulsus, quasi cō-
uulsus sit. haec Galenus: quæ parum probabunt.
dicet contradictor, si vulua non est neruosa
nisi per similitudinem: ex eo enim non colligi
dicet, acetum ei nocere, nec quod vteri strangu-
lati pulsus sit protensus: cum hic pulsus supra
affectus membrorum vere neruosorum atesta-
tur, neq; est communis membris, quæ similitudi-
ne quadam neruosa dicuntur. sed isthæc nos mis-
sa faciamus: nam bene pensiculando Galeni di-

Culpabis me forsan iocundissimè
 me Lector, in tam breui opusculo tot errata cō
 tēplans, at culpāre me defines, postq; rescueris,
 me excussioni non adesse: nisi criminis notam
 subiui, si forte bene tersum exemplar typogra
 pho non cōmendauī, à quo crimine non vnde
 quaq; me vindico. Siquidem vt ingenue fatear,
 vix relegi opus, postq̄ illud scripsi: instabat me
 quippe typographus. quocirca obtuli illi opus,
 qualecūq; erat, ne opportunitatem excudendi
 quam eram nactus, perderem. Lege igitur sequē
 tia equo animo, quę cōmissos resarciunt erro
 res: ad reliqua vero errata minoris momenti cō
 niuebis. Vale.

¶ Folio. 2. pagina prima linea
 10. frugissima lege frugifera.
 Folio. 2. pagina. 2. linea deci
 ma tertia lege percitur.
 Folio. 2. pagi. 2. linea decima
 octaua lege propensus.
 Folio. 4. pagi. prima linea secū
 da lege humanam.
 Folio. 5. pagi. 2. lin. 19. lege de
 naturali pte et sic semp q̄ hūc
 auctorē aliter citatū videris.
 Folio. 6. pagina. 1. linea quarta
 lege inficiādum.
 Folio. 7. pagi. 2. linea. 18. post
 quam adde construxit.
 Folio. 8. pagi. pri. linea sexta le
 ge crysipum.

Folio. 8. pagi. 2. linea quinta
 post Galenus adde in.
 Folio. 9. pagi. pri. linea octaua
 lege dissertandum.
 Folio. 10. pagi. pri. linea quinta
 lege scientiæ.
 Folio. 12. pagina. 2. linea deci
 ma quinta lege infrigidat.
 Folio. 15. pagi. 2. linea octaua
 lege vigesimi quarti.
 Folio. 15. pagi. 2. linea decima
 octaua lege inguem.
 Folio. 18. pagi. 1. lin. 2. verū po
 natur in principio clausulæ.
 Folio. 20. pagi. pri. linea secun
 da lege deciscet.
 Folio. 24. pagi. pri. lin. 18. adde

- post temperatam &.
- Folio. 30. pagi. 2. linea. 18. lege arterijs non arctis, vt in hoc opere semper cum. c. hanc dictionem scriptam videbis.
- Folio. 34. pagi. 2. linea vigesima quarta lege amarore.
- Folio. 35. pagi. pri. linea quinta lege non conueniunt.
- Folio. 36. pagi. 2. linea decima nona lege hos humores.
- Folio. 38. pagi. pri. linea decima lege cientibus.
- Folio. 38. pagi. 2. linea prima lege ieiunum.
- Folio. 40. pagi. pri. lin. 15. lege non tantum hunc sanguinem incusaret.
- Folio. 40. pagi. pri. linea. 15. in sanguine lege hunc sanguine.
- Folio. 40. pagi. 2. lin. 21. lege tam acriter.
- Folio. 43. pagi. pri. linea septima lege frigus.
- Folio. 43. pagi. 2. linea. 19. lege eliquantur.
- Folio. 44. pagi. 2. linea. 16. lege finum.
- Folio. 44. pagi. 2. linea decima lege aristoteles.
- Folio. 47. pagi. pri. linea. 19. lege galeni.
- Folio. 47. pagi. 2. in. 12. adde testis post locupletissimus.
- Folio. 50. pagi. 2. linea. 17. bene lege certe.
- Folio. 53. pagi. 2. linea. 9. mouetur lege mouet.
- Folio. 52. pagi. pri. linea. 2. prae cipe lege perspicue.
- Folio. 56. pagi. 2. linea. 15. topiaria lege topiaria.
- Folio. 58. pagi. 2. lin. 23. quod lege quos.
- Folio. 55. pagi. 2. lin. 8. adde dicit post musculorum.
- Folio. 58. pagi. 2. linea. 26. lege cremorem.
- Folio. 59. pagi. pri. linea. 19. laminare lege lancinare.
- Folio. 60. pagi. pri. linea. 16. nullam lege nullum.
- Folio. 60. pagi. 2. linea. 14. quae lege quos.
- Folio. 61. pagi. pri. linea. 11. in fine lineae adde & sabanarola
- Folio. 62. pagi. pri. linea. 13. lege hispaniae.
- Folio. 63. pagi. pri. lin. 21. permittunt lege permittuntur.
- Folio. 64. pagi. 2. lin. 14. explodendum lege explodendus.
- Folio. 68. pagi. pri. linea. 4. quod lege quia.
- Folio. 68. pagi. pri. lin. 8. lege accendere.
- Folio. 68. pagi. 2. linea septima lege austeris.
- Folio. 69. pagi. pri. linea sexta lege insomnias.
- Folio. 70. pagi. 2. linea. 26. lege ascitiam.
- Folio. 73. pagi. 2. linea. 26. possit lege possint.
- Folio. 75. pagi. pri. linea quinta aeris lege acris.
- Folio. 77. pagi. pri. linea nona endeuia lege endiuia.
- Folio. 81. pagi. 2. lin. 22. auerruncandam lege auerruncare.

- Folio. 82. pagina. 2. linea. 24. lege ad lire sonum.
- Fol. 83. pag. 1. lin. 17. & 18. lege quæ eorū malitiā retundant.
- Folio. 84. pagi. pri. lin. 17. disensio lege diffensio.
- Folio. 88. pagina pri. linea. 15. q̄ lege quod.
- Folio. 90. pagi. pri. lin. 12. aloes lege aloem.
- Folio. 91. pagi. pri. linea prima mixisse lege miscuisse.
- Folio. 93. pagi. pri. linea. 5. lege sed q̄ in febrium.
- Folio. 93. pagi. pri. lin. 10. secundum q̄ lege quod.
- Folio. 93. pagi. pri. lin. 13. lege eas augebunt.
- Folio. 93. pagi. 2. linea. 11. hippocrates lege galenus, & lege hippocrates cum duplici. p. nā cū simplici est semper scriptū.
- Folio. 94. pagina pri. linea. 19. deme q̄.
- Folio. 95. pagi. 1. li. 13. lege aloē.
- Folio. 95. pagi. 2. linea. 25. cini lege ani.
- Folio. 101. pagi. pri. a linea quarta vsq; ad lineam nonā est scriptura deprauata, non enim voluit mesue q̄ mirobolani addant malitiam scamoni.
- Folio. 104. pag. 2. li. 11. que lege qui, in eadē lin. adde nōnullæ
- Folio. 105. pagi. pri. lin. 5. fecates lege fecales.
- Folio. 105. pagi. pri. linea. 19. lege si sunt exhibita.
- Folio. 106. pagi. pri. lin. 6. lege hiers pichre.
- Folio. 106. pagi. 2. lin. 2. exhibitā lege exhibitum.
- Folio. 106. pagi. 2. linea. 13. frigida lege frigidum.
- Folio. 108. pagi. 2. lin. quarta quæ lege quas.
- Folio. 109. pagi. pri. lin. 22. ille lege illum.
- Folio. 111. pagi. pri. lin. decima nonnunq̄ lege nunq̄.
- Folio. 113. pagina pri. linea. 2. lege abortire.
- Folio. 113. pagi. 2. lin. 14. quandoq; lege quandoquidem.
- Folio. 117. pagi. 2. linea. 3. lege pomeridiano.
- Folio. 120. pag. 2. linea. 22. medium lege minimum.
- Folio. 124. pagi. pri. linea. 13. lege execraretur.
- Folio. 125. pag. 2. linea. 20. officatur lege afficiatur.
- Folio. 127. pagi. pri. linea. 21. lege luculenter.
- Folio. 137. pagina. 2. linea. 15. accessionis tertianæ lege quotidianæ.
- Folio. 151. pagina pri. linea decima lege primus dies criticus tertius dies est.
- Folio. 157. pagi. 2. lin. septima minus lege multum.
- Folio. 162. pagina prima tum lege tamen.
- Folio. 162. pagi. pri. linea. 23. lege abundat iuro.
- Folio. 165. pagina prima linea secunda lege fœde lapsus, in eodem folio lege de asihmate non de affhemate.

Folio. 169. linea secūda extracto
lege extractio.

Folio. 170. linea secunda lege
coherere.

Folio. 176. pagi. 2. linea. 20. le-
ge dissertarent.

Folio. 177. pagina pri. linea. 2.
lege phlemon.

Folio. 179. pagi. pri. linea. 2. in
corde lege hepate.

Folio. 182. pagi. pri. linea. 17. &
19. lege ilia.

Folio. 182. pagina pri. linea. 18.
lege hipogastrium.

Folio. 188. pagi. pri. lin. 8. lege
medicamentorum localium.

Folio. 193. pagi. pri. lin. 17. transf
ferri lege transferendi.

Folio. 193. pagi. pri. lin. 22. nos
lege nobis.

*mulis oppiis vidi geminos nasci ex
uter ~~feminas~~ feminas*

eta, facile quis ab ijs cauillis poterit se extricare.
De vteri stragulatatu haectenus. sed antequa huic
capiti vltimum addam colophonem, annotare
volo: quod eruditi medici iuxta Hipocratis de
creta comprobatum habent, vterum mulieris so
lum duos sinus habere. quod non inficiatus est
Aristoteles, qui decima sectione problematum
problemate decimo quarto, querens cur anima
tium alia sint partu numerofo, alia non? dicit, q
alia vteros continent multos, totidemq; forma
di loculamenta, quibus impleri percipiunt, qui
bus semen genitale diuidendum inserendu est.
hac Aristoteles: que clare condenant mundini
caeterorumq; suę factionis opinionem, qui se-
ptem sinus vterum mulieris habere dixerunt.
Sed quia de vtero hic mentionem facimus, quod
conceptionis est organum & promptuarium,
est obiter notandum. quod licet maior medico
rum pars doceat, septimum & nonum mensem
partus naturalis esse deputatos terminos: quod
Plato dialogo quinto de iust. innuit, septimum
& decimum mensem naturalis partus esse ter-
minos veridicos. tradens enim regulam, quo
modo patres & matres discernantur, postquam
instituit vxores & liberos debere esse commu-
nes, dicit, omnes quicunq; nascentur decimo me

Enchiridion medicinae

se vel septimo, ex ea die qua quis liberis operam dedit, masculi ab hoc filij: foemine filiae nominabuntur. haec plato, quae eorum quae diximus, perspicuam dant fidem.

¶ DE DOLORE *an ab*

temperie artus *dolore*
solidi. ex eundis *Articulari.* *affinit?* *est*
nextis bile. *humoribus* *gignit?*



QUOD Articularis dolor a nuda qualitate non possit proficisci, asseuerat Leonhartus fuchsius sexto libro aphorismorum aphorismo quinquagesimo sexto: cui sententiae (licet ab illo non citetur) videtur suffragari Paulus aegineta, qui tertio libro capitulo septuagesimo octauo, absque superuacuo humore hunc affectum non enasci tradidit, ubi etiam dicit, quod pituitosus ac crudus humor magna ex parte huius morbi est causa. Auicena tamen vigesima secunda tertij, non abnuere videtur, quod a sola intemperie hic morbus oboriatur: cui sententiae ratio videtur astipulari. si enim (ut supra est comprobatum) sufficiens doloris causa est intemperies, quid obstat, quod tam praua intemperies artus afficiat, quod dolore in artibus gignat? In eadem parte Auice-

1.63
78.

2^a
3^a

In dolore *pendi* *de morbis* *vult*
no. bz. abnuere. Venas *reho* *auzes*
secadas *nos. nitro* *secades* *can.* *ignis*

na non ex pituitoso & crudo humore (vt Paulus & Aetius dixerunt) hūc affectum magna ex parte produci differit, sed ex pituita bili mixta. ob id enim quia bilis tenuis est, potest pituitam ad penitiora loca vehere. Gale. decimo lib. de cōpositione pharmacorum secundum locos, dixit, vt plurimum esse humorem pituitosum, aut ex pituitoso & bilioso mixtum, qui articulare doloꝛē causat. Nec in hoc cap. silentio est praetereundum (siquidem de dolore artuū hic pertractamus) quod multi medici cupientes opitulari ijs, qui coxendicis morbo laborant, solent venas retro aures agrotantis secare: quod à Galieno non probatur sexto de morbis vulgaribus, commentario quinto. Ceterum notandum est, quod si in quibuscunq; fideis auctoribus nō reperirem Hippocratem dixisse eunuchos podagra non tentari, nec caluos fieri: censerē Hippocratem scripsisse, eunuchos elephantiasi nō corripī, nec caluos fieri. quia video Aetium sermone primo, quartæ partis cap. centesimo viginimo quinto, dicentem, coitus elephantiasi infestissimus est: etenim non reperies vllum aliquem temere qui exectus ab elephantiasi apprehendatur. hæc Aetius: quæ in dictam me duxerunt opinionem.

9
10. 2. 10
de vmp
me. san
lors
Secain
nto
felixom
effestus
Gabri

DE ELEPHANTIASI.



VIX REPERIES RECEN-
 tiorem vllum qui de medica arte ali-
 quid scripsit, qui non notet, aliter Ara-
 bes inaudire affectum, qui dicitur elephantia,
 quam Græci. dicunt enim, elephantiam apud
 Arabes esse morbum pedum, & apud Græcos,
 idem quod Arabum lepra. Sane licet hoc plane
 videatur colligi ex dictis multorum, qui sunt
 Mauritanie familiae, non ex Arabibus omnibus
 hoc poteris perpendere. nempe Haliabas qui
 ex Arabum factione est, quarto practicae, non
 aliter sumit elephantiam, quam Græci: quod
 quia tibi quartum caput citati libri contempla-
 ti erit dilucidum, nolo in medium sua dicta pro-
 mere. Sed quia in Arabum lepram incidimus,
 subnotandum obiter hic est, quod Azarabius
 scribit. quod si prima die purgationis menstrue
 fit conceptio, conceptus fiet leprosus duodeci-
 mo anno: si secunda die, decimo tertio: si ter-
 tia die, ab anno vigesimo quarto vsq; ad annu
 vigesimum sextum. Omnia hæc merentur car-
 bone notari: non enim quolibet tempore men-
 struæ purgationis potest fieri conceptio. Dicit
 enim Galenus libro de dissectione vuluæ, conce-

ptionis tempus est vel incipientibus mensruis
 vel cessantibus. quanuis etiam alio toto expur-
 gationis tempore aperta ora hæc sint, non ta-
 men tunc concipere mulier vlllo modo potest,
 cum semen nequeat in vulua remanere, sed ab
 influentis sanguinis copia eluatur. at cessanti-
 bus vel incipientibus mensruis, & ora aperta
 sunt, & menstruum non multũ neq; vniuersum
 sed paucum & paulatim effluit. hæc Gale. quæ
 dicta Azarabij manifeste refellunt. Atqui dicet
 aliquis Azarabium tutari cupiens. Aristoteles
 septimo de natura animalium cap. secundo di-
 cit, quod nonnullę dum profluunt menses, con-
 cipiunt. Nos tamen ne inter Aristotelem & Ga-
 lenum litem inferamus, vel si aliqua est ablege-
 mus, dicemus: quod incipientibus mēstruis be-
 ne potest fieri conceptio: & hoc assertabimus
 velle Aristotelem, cum dicit, profluentibus mē-
 sibus nonnullę concipiunt. Considerent hæc,
 qui caput de lepra Auicena lectitant, ne cū Gen-
 tili cæterisq; exponentibus dicta Azarabij pro-
 bent.

¶ PERORATIO OPERIS.



QVANTA Sit humanę vitę imbecillitas, candidissime lector, vel ex hoc maxime potest perspici: quod tot (vt vidisti) sunt ægritudinum genera, quę in illā semper machinātur, quarum insidias pauci possunt effugere. quocirca paucis est concessum, ultimum videre senium: etenim multos anteq̄ nactos immatura præoccupat mors. tot etiam sunt, quę infantes circumstant ægritudines, quibus sic obruuntur, quod gaudere vitali aura conceditur paucis. & vt simpliciter dicam, quę ætas est, (vt dicit lib. de contemnenda morte Plato) quę innumeris incommodis non sit obnoxia, & à multis ægritudinibus laceßita? & tãdem quantumlibet quis de sua sanitate tuenda sit sollicitus, temperatissimamq; incolat regionem (siue Græcia sit: vt tertio libro aphorismorum dixit Hipocrates, & Plato in epinomi, siue vt Auerroes dicit, sit in quinto climate) mortem naturalem non poterit effugere. quippe & ipse calor qui animam corpori nectit, qui vitę est præcipua radix, accidentali quodam modo

est senii mortisq; causa: humidum scilicet consumendo. At si quis non ob ægritudinem, sed ob hanc consumptionem quam in humido facit calor, mortem oppetit, absq; dolore & conflictu eritabit animam: si Platoni in thimeo credimus. mirum dictu, cum mors Aristotele teste tertio hecticorum cap. sexto, est maxime omnium terribile. quod si quæ libro de anima Plato dicit, mente alta reponeremus: ne dicam, quæ iam ex sacra habemus fide, procul abiret timor. Siquidem tantum virtutibus nos emanciparemus, quod parui facientes hanc cito perituram vitam (quæ mortis nomen fortiri mereatur, vt apud Axioicum ipsemet Plato differuit, necnon Seneca libro vigesimo tertio, epistola centesima vigesima prima.) in æternam transferri nos inuaderet amor. Velit ipse summus opifex, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum est, sic ad se nos trahere: vt relictis huius mūdi inquinamentis toti ad eum conuertamur: à quo adiuti nec morbi nec aliæ huius seculi calamitates officere nos poterunt. Qui igitur sanitatem cupit siue mentis siue corporis, à sanitatis perenni fonte petat: hauriet nempe aquam viuam, quæ omnes tollit languores firmitus dulciusq;, q̄ medicamenta quæ nos

Peroratio operis.

medici paramus. sed tam archana myſteria qua-
lia dei ſunt, non meum calamum exoptant. Va-
le igitur iam iocundiſſime lector, & meos labo-
res boni conſule.

¶ FINIS.

¶ IMPRESSVM CAESARAVGV-
ſtae in ædibus Petri Bernuz. Anno à partu
virginis. M. D. XLIX. quarto
Idus Aprilis.

CAESAR
BIBLIOTECA
MUSEO
NACIONAL



aceite primo

Et thuris mastice — 3 lb
myrra — 3 lb
terebinte — 3 lb
olei anniq. dulcis 1 lb

indaga
neng

A más fuego. es en la tierra
en el aceite como no yerba y
q yerba sea muy pro todo lo q
hate para introcarlo de verde
ni a la division ven ellas y esto
se aparre del fuego se este
myrra y enese y molde y pas
con edaro de seda y no
no salga en passando la
muela se al dicho más fuego
espanis de dos credos y apanese
arope muy bien y usen dello.

este aceite

Quia las apollenas y heridas y
madura y abze y nezza sui dar
dentre my calentura.

296/400504961

